METAPHYSICAE,

ONTOLOGIAM

ET

PNEUMATOLOGIAM

COMPLECTENS.

EDITIO SEPTIMA.

GLASGUAE:
IN AEDIBUS ACADEMICIS,
EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS,
M.DCC.LXXX.

2 56 AUG

Capitum Argumenta.

PARS I.

Cap. I. De Ente et communibus rerum attributis. Metaphysica quid sit. Ontologia et Pneumatologia Pag. 1

1. Entia qua ratione innotescunt 2
2. Ens, Essentia, Existentia conjugata 3
Quid Essentia et Existentia 4
Quatuor Existentiae indicia 5
Rerum Essentiae quales ib.
3. Actus et potentia 6
4. Nulla Idea Ente generalior 7
Relationes, possibilia, impossibilia. Denominationes Externae. Negationes et privationes. Entia rationis. Radix possibilitatis. 7, 8, 9
5. Sola Entis Idea est absoluta 10

Cap. II. De Axiomatis Metaphysicis 11
1. Axioma quid. quo sensu innatum ib.
2. Nullum principium omnium primum 12
3. Axiomata indubitabilia 13
Non in Deo cernuntur ib.
Axiomata parum utilia ib.
Duo utiliora 14

Cap. III. De proprietatibus Entis 16
1. Unitas, Identitas, diversitas ib.
Mentium, Idearum 17
Individuationis principium 18
Rerum Corporearum ib.
2. Veritas Logica et Ethica ib.
Metaphysica 19

3. Bonitas ſive perfectio 19
Phyſica, et Moralis ib.
Perfectiones abſolutae, et ſecundum quid 21
4. Ubi et Quando, an omnibus conveniant ib.
Variae ſententiae 23
Quando permanens et ſucceſſivum 24
Cap. IV. Entis diviſiones 26
1. Indepcndens et dependens ib.
Dependentiae indicium 27
2. Ens neceſſarium et contingens ib.
Neceſſitas Interna et Externa ib.
3. Ens ſimplex et multiplex 29
4. Finitum et infinitum 30
De infinitis quaeſtiones ib.
5. Cauſa et Cauſatum 31
Cauſae Logicae, morales &c. 33
Materiales, formales, finales 34
De Efficientibus axiomata 35
De Effectibus 36
Nulla cauſarum ſeries infinita 37
6. Cauſae rationales, neceſſariae et contingentes 38
Libertas quid ſit 39
7. Subſtantiae et accidentia 41
Qui veri modi 42
Subſtantiae corporeae et cogitantes ib.
Cap. V. De Categoriis 44
1. Subſtantia ib.
2. Quantitatis genera, magnitudo, eaque triplex 45
Tempus ib.
Verae quantitates incertae 46
Numerus ib.
3. Qualitates, Motus et Cogitatio 48

Cap.

2 56 AUG

Quies et Figura 48
Gravitas et cohaesio 49
Omnis Qualitas subjecto congrua ib.
4. Relatio non est res externa 51
Non vanae earum Ideae ib.
Numerorum Relationes clarissimae 52
5. Actio et passio ib.
Quid Lex Naturae 53
6. Reliquae categoriae ib.

PARS II. De Mente Humana.

Cap. I. De Animi viribus, primo de intellectu 55
1. Spiritus Substantia cogitans ib.
2. Intellectus et voluntas 56
Sensationes earumque Causae 57
3. Directae et reflexae ib.
Externae, et qualitates Primariae et Secundariae 58
Gratae, molestae et mediae ib.
Ideae comitantes Duratio et Numerus 59
Aliae visu et tactu sensiles ib.
Omnium causa Deus 60
Mens in iis actuosa ib.
Boni et mali prima notitia 61
4. Sensus interni sive conscientia ib.
Ideae horum abstractae 62
5. Sensui reflexo grata *Novitas*, *amplitudo*, *similitudo*, sonorum *concentus*, omnisque *imitatio*, et rerum cognitio 62, 63
Sensus communis, et affectuum contagio 63
Decori et honesti 64
Haec vis innata ib.

Senſus Laudis et Vituperii 65
Senſus ridiculi 66
6. Memoria, Ratio et imaginatio ib.
Idearum conjunctiones 68
7. Bonum ſenſu judicatur ib.
Quae voluptates praecipuae 69
8. Habitus 70
9. Judicia abſtracta et abſoluta ib.
Quomodo penes nos 71
Cap. II. De voluntate 73
1. Appetendi vis duplex. appetitus ſenſitivus 74
2. Appetitus rationalis ib.
Res mixtae quî appetuntur 75
3. Libertas quid 76
Quale imperium in appetitus 79
Gaudia, moerores 80
4. Appetitus ſenſitivus et paſſiones ib.
Cauſa vitiorum 82
5. Motus benigni, tranquilli aut perturbati ib.
Inſtinctus naturales 85
6. Senſus moleſti antecedentes aut ſubſequentes 86
Imperium in paſſiones ib.
7. Paſſiones haud inutiles 87
Cap. III. An Spiritus ſit a corpore diverſus 88
1. Variae ſententiae. notitia noſtra exigua ib.
2, 3. Ingens affectionum diſparitas et repugnantia 89, 90
4. Res eas eſſe diverſas oſtendit ſenſus internus 91
5, 6. Res cogitans eſt ſimplex et actuoſa; corpus concretum et iners 92
7. Nulla ſpirituum generatio aut corruptio 94

Locus ſpirituum ib.
Cap. IV. De animi corporiſque conjunctione, et ſtatu ſeparato 96
1, 2. Animi imperium in corpus ſuum, et cum eodem conjunctio 96, 97
3. Immortalitas a Deo pendet 98
Eam exigit Dei Juſtitia 99

PARS III. De Deo.

Theologia naturalis quid ſit 102

Cap. I. Oſtenditur Deum eſſe 103
1, 2. Ex mundi fabrica 104
Duplex agendi genus ib.
3. Deum eſſe docent, Corpora coeleſtia 105
et ipſa terra 106
4, 5. Animantum ſtructura 107
et generum conſervatio 108
6. Idem docent animi partes 109
7. Diſſuuntur argumenta contraria 111
8. Aliae plures rationes. aliquid aeternum eſt et primum 112
Materia non ens primum 113
Sententiarum comparatio 115
9. Argumenta Carteſii ib.
Cap. II. De Attributis naturalibus 117
1. Attributa quî innoteſcant. Communicabilia et incommunicabilia 117, 118
2, 3. Independentia, neceſſitas, et Unitas 118
4, 5, 6. Infinitas. Deus Spiritus, ſimplex 119, 120
Immutabilis ib.
7. Immenſus, aeternus ib.
8. Incomprehenſus 122

CAP. III. De attributis intellectualibus 124
1, 2. Deus vivens, omnipotens, omniscius. Ideae divinae ib.
3. Scientia infinita. *Simplicis Intelligentiae, visionis, media* 125, 126, 127
CAP. IV. De voluntate Dei 130
1. Voluntas Dei qualis. beatitudo non pendet ab externis ib.
Bonitas gratuita. Voluntas libera 130, 131
2. Constat Deum esse bonum, ex mundi fabrica 133
et felicitatis exsuperantiâ 134
De origine mali 136
Deus optimus 138
3, 4. Justitia, Sanctitas, Veritas 138, 139
CAP. V. De operationibus Dei 141
1. Operationes Quales ib.
2. Ex bonitate fluunt 142
Creatio prima et secunda ib.
Conservatio 143
3. Dei providentiâ reguntur omnia ib.
Nulla de Decretorum ordine Quaestio movenda 145
4. Quî regantur libera ib.
5. Jus imperii divini 148
6. De Theologia revelata 149
Unde ei Fides 150

2 56 AUG

METAPHYSICAE SYNOPSIS.

PARS I.

DE ENTE ET COMMUNIBUS RERUM ATTRIBUTIS.

CAP. I.

De Ente.

HAUD incommoda apud antiquos erat PHILOSOPHIAE partitio, in NATURALEM sive PHYSICAM, quae omnes continebat scientias speculativas, de rebus sive corporeis, sive incorporeis; MORALEM, Ethicam, scil. et Politicam: et RATIONALEM, quae Logicam complectebatur, et Rhetoricam. Omnem postea de 'communissimis rerum attributis,' de Deo et Anima cognitionem, a Physicae finibus ad Metaphysicam, relegaverunt Aristotelici; qui METAPHYSICAM appellarunt 'scientiam de Ente 'quod a materia est abstractum:' atque in ea, omnem doctrinam de attributis communissimis, de generalioribus Entis divisionibus, de Deo et Mente humana, contineri voluerunt. *Metaphysica quid sit.*

PARS I. Recentioribus quibuſdam arriſit alia veteris Phyſicae deſcriptio. ONTOLOGIAM, quam dicunt, 'ſcientiam ſtatuunt de ENTE et communiſſimis rerum attributis;' nimis quidem exilem: deinde PNEUMATOLOGIAM tradunt; doctrinam, nempe, de Deo et Mente Humana; et PHYSICAM, parcius acceptam, quae eſt 'ſcientia de corpore.' Illarum brevem exhibentes ſynopſin, ad minus generalia, a generalioribus, progredimur.

Ontologia et Pneumatologia.

Entia qua ratione innoteſcunt.

I. QUAMQUAM rem nullam attingere valeat mens noſtra, niſi Ideae ſive notionis cujuſdam, aut propriae, aut analogicae, interventu; cum non ipſae Res, ſed Ideae, aut Notiones, proxime menti objiciantur: Idearum tamen plurimas, ad res externas, tanquam earundem imagines aut repraeſentationes, referre cogimur ab ipſa natura. 'Senſationis praeteritae memoriam' retinemus, certi omnino eam antea extitiſſe; ejuſque debilem quandam Ideam ubi volumus nos revocare poſſe, quando non amplius manet ipſa SENSATIO. Suppetit hinc certiſſimum indicium, Ideas quaſdam eſſe rerum aliarum repraeſentationes. SUI inſuper retinet quiſque CONSCIENTIAM, aut ſenſum iſtiuſmodi, qui eum haud dubitare ſinit, an idem maneat hodie, qui heri fuerat, mutatis utcunque, aut aliquamdiu ceſſantibus cogitationibus: ne-

que dubie ad ſeſe refert priores ſuas ſenſationes, judicia, affectus et motus quoſcunque quorum retinet memoriam. Hinc etiam Rei verae, ab Idea quavis diverſae, ſuppeditatur notio aut informatio. A natura item, ſimili impellimur ratione, ſpecies quaſdam viſu aut tactu perceptas, ad res plane externas, quarum ſint imagines, referre. Quae omnia monſtrant, Res eſſe veras, ab Ideis diverſas, iiſdemque ſubjectas; quae Idearum objecta vulgo appellantur. CAP. I.

Quum autem Idearum interventu res innoteſcant, Ideiſque voces adjungamus, quae earum vice in ſermone fungantur; ſedulo in omni Philoſophia cavendum eſt, ne ea quae Ideis aut vocibus tantum conveniunt, rebus etiam externis, aut Idearum Objectis tribuamus. Qua in re Scholaſticorum incuria miras plane dedit in Metaphyſica turbas.

II. ENTIS ‘ Idea generalis et abſtracta eſt ‘ omnino ſimpliciſſima, omnem reſpuens definitionem:’ quae cum in omni alia idea involvatur, de aliarum omnium objectis univoce praedicari poteſt. Omnis igitur verae propoſitionis affirmantis objectum eſt aliquid quod vere eſt aut exiſtit, eo tempore quod reſpicit propoſitio. ESSENTIA et EXISTENTIA, ſunt voces Enti conjugatae; idem fere in Abſtracto ſignificantes, quatenus ad objecta referuntur, *Ens, Eſſentia, et Exiſtentia, ſunt conjugata.*

PARS I. quod ipsum Entis nomen. Neque ulla intelligi potest Essentia in ipsis rebus, quae non existat; neque Existentia est quiddam in ipsis rebus Essentiae superadditum. Quum autem Rerum Naturas aut Essentias, nobis repraesentare videantur nostrae ideae, complicatae praesertim, et multiplices quae attributa notiora, 'qualitates 'sensiles, potentias et relationes,' continent; complicatas hasce Ideas Essentias appellamus; quaeque solis ideis conveniunt, rebus ipsis saepe temere adscribimus. Quumque istiusmodi Ideas ipsa sibi saepe formet mens, nulla re externa excitante, ex simplicibus quas antea acceperat Ideis, quamvis satis novit nullam iisdem tunc temporis rem externam respondere; incaute sibi finxerunt quidam, 'Essentias quas-'dam, easque aeternas, fuisse sine existentia;' siquando autem subnascatur Res istiusmodi ideae similis, tunc censent Existentiam Essentiae supervenientem, veram rem efficere, sive Ens reale. Atque hinc, Essentiam et Existentiam dixerunt Essendi Principia, sive Entis constitutiva. Quicquid vero Essentiam habet veram, eodem tempore habet Existentiam, eodem sensu quo habet Essentiam, aut quo est Ens, aut Aliquid.

Quid Essentia, quid Existentia.

Non tamen omnino eadem significant hae voces: Essentia enim, 'primaria Rei attributa

' denotat ;' qualia in Ideis complicatis junctiſque contineri ſolent, etiam ubi nullum eſt objectum. ' Exiſtentiae notio ſemper eſt ſimplex ;' quaeque neceſſario menti ſuggeritur ab omni ſenſatione ; atque ab illa ſui conſcientia, quae omnem cogitationem comitatur. Eandem etiam ſuggerunt ſenſationes, quae natura duce, externas res tanquam veras depingere videntur : cum nemo ſentiens dubitet an ipſe ſentiat, aut ſit ; atque num res corporeae verae ſint paucos dubitare ſinit ipſa naturae vis. Generales hae et abſtractae eſſentiae, et exiſtentiae notiones, ſunt ſimplices ; Eſſentiae ſingularis, aut minus generalis Idea ſaepe eſt complicata ; Exiſtentiae ſemper eſt ſimpliciſſima ; includens ſolum confuſam ad temporis partem aliquam, rationem ; a qua omnis eſſentiae notio eſt ſevocata. CAP. I.

Quatuor exiſtentiae Indicia.

Res exiſtere cernuntur vel ſenſu interno, quo modo quiſque ſe eſſe novit ; vel ſenſu externo, qui naturali vi, alias quoque res eſſe ſatis cuique affirmat ; vel Ratiocinatione ex effectis, cauſis aut adjunctis ſenſu quovis cognitis ; vel denique teſtimonio.

Rerum eſſentiae quales.

Quamvis intimae rerum naturae ſive eſſentiae nos lateant ; varias tamen certa naturae lege, in nobis excitant ideas ; quarum primarias quaſdam, inter ſe neceſſario connexas, reique objectae ſemper convenientes, aut ipſa po-

PARS I. tius attributa his ideis repraesentata, rei essentiam appellamus. Horum attributorum, in ipsa re non aliud alio prius aut posterius; in nostra tamen cognitione saepe aliter se res habet; atque pro varia inquirendi via, varie. Unde unius ejusdemque rei plures possunt esse Definitiones, prout ex hoc aut illo attributo caetera eruuntur: quarum tamen aliae aliis longe commodiores.

Actus et Potentia.

III. NULLA in re magis vocibus abutuntur scholastici, quam in doctrina de Actu et Potentia, quibus vocibus plurima confuse subjiciunt. Actus Physicus, qui est vis agendi, vel est primus vel secundus. Actus primus ipsa est agendi vis; Actus secundus, ipsa actio. Potentia Physica activa sive actuosa, est ipse actus primus: Potentia passiva, est posse pati; sive ea rei mutabilitas naturalis, unde naturae actuosae vi obnoxia est, ut per eam varie mutari possit.

'Actus metaphysicus est ipsa rei existen-'tia,' et nonnunquam 'qualitas quaevis ipsam 'perficiens,' praecipue agendi vires. Potentia huic oppositа, dicitur 'rei non existentis possibilitas;' aut rei existentis status naturae alicui actuosae ita obnoxius, ut alio atque alio modo mutari possit. Deus igitur Ens primum, aliorum omnium Creator et Rector, nullique mu-

tationi obnoxius, dicitur Actus purus: caetera autem omnia dicuntur, a primo, fuisse in potentia: cui quum supervenit Actus, facta fuerunt Entia realia, aut vera. In hoc ipso vero statu manet aliquid potentiale, quod vi Dei varie mutari possint aut destrui. His vocibus confusis non aliud subest, quam quod Ens primum sit aeternum sine initio, omnique perfectione absolutum et immutabile, nullique obnoxium; caeterorum omnium ideas formari potuisse antequam ipsa fuerant: quumque sint, tamen potentia Dei mutari posse. Perperam hinc dixeris, 'actum et potentiam' esse Entis principia. CAP. I.

IV. VOCIBUS omnino abutuntur qui sibi fingunt Ideam aliquam esse Ente magis generalem. Imaginabile quod vocant, est vera notio, cui forte nullum est objectum. Quocunque autem sensu dixeris imaginabile aut aliquid, eodem sensu dicas Ens verum, sive de Ideis loquare, sive rebus subjectis. Neque medium est ullum inter 'Ens et merum nihil.' Quae recensentur, sunt 'Relationes, Possibilia, Impossibilia, Denominationes externae, Privationes, Negationes 'et Entia Rationis.' *Nulla Idea Ente generalior.*

RELATIONES sunt notiones quaedam, ex duarum rerum contemplatione ortae, quibus nullum est objectum diversum ab ipsis rebus comparatis, earumque affectionibus, et actioni- *Relationes.*

PARS I. bus; quae omnia perſpecta, ſuggerunt rationis aut habitudinis, quae inter res intercedit, notionem. Res comparatae dicuntur TERMINI, quorum alter eſt SUBJECTUM ſeu RELATUM, alter CORRELATUM. Comparandi cauſa, alterutrius actio forte aliqua, aut qualitas, aut affectio, cujus uterque participat, dicitur FUNDAMENTUM. Relationes ſunt verae Ideae, quarum objecta extra mentem ex variis rebus veriſſimis conflantur; non vero aliquid a fundamento et terminis diverſum.

Poſſibilia. POSSIBILIA ſunt 'termini, aut Ideae complicatae, quarum partes, inter ſe conveniunt.' Ubi nullum eſt objectum, dicuntur pure poſſibiles. Verae ſunt Ideae, quibus nihil veri reſpondet.

Impoſſibilia. IMPOSSIBILIA ſunt 'termini complicati, 'quorum partes ſeorſim notant Ideas ita ſibi in-'vicem contrarias, ut conjungi nequeant.' Verae ſunt voces, veras Ideas ſeparatim ſignificantes, et nihil amplius.

Denominationes externae. DENOMINATIONES EXTERNAE ſunt 'adjectivae voces paſſive ſignificantes, veram actionem aut qualitatem, in aliquo oblique et 'confuſe connotato, repraeſentantes; in Latino ſermone tamen, non conjunctae cum ſubſtantivo nomine ipſius agentis, aut illius cui ineſt ea qualitas.

NEGATIONES et PRIVATIONES ſunt 'vo-

ces, notantes loquentis ſententiam, aut noti- CAP. I.
'tiam, quod certa res non habeat qualitatem
'quandam veram.' Quae ſi huic rerum generi *Negationes, et Privationes.*
naturalis ſit, vox eam abeſſe notans, dicitur PRIVATIO; ſin ſecus, NEGATIO. Neutrius ulla vera eſt actio, affectio, aut praedicatum.

ENTIA RATIONIS ſunt vel Ideae quibus *Entia Rationis.*
'nullum eſt objectum;' quae ENTIA RATIONIS SUBJECTIVAE dicuntur: vel 'termini com-
'plexi, quorum partes inter ſe pugnant;' quae ſunt ENTIA RATIONIS OBJECTIVE. Haec omnia ſunt vel verae Ideae, vel verae ſaltem voces: Objecta ipſis propria nulla ſunt.

V. In celebri illa quaeſtione, an RADIX ſi- *Radix Poſſibilitatis.*
ve cauſa POSSIBILITATIS in rebus intrinſecus ſita ſit, an vero extrinſecus accedat; vel quaeritur 'Ubinam ſit potentia quae cuivis I-
'deae Objectum efficere valeat conveniens?' Quae certe in ſolo Deo eſt reperienda: vel potius quaeritur, 'Quonam criterio novimus huic
'termino Objectum effici poſſe congruum, illi
'non poſſe?' Hoc criterium in ipſis terminis petendum; quorum ſi partes inter ſe conſtant, ſunt poſſibiles; cum apud Deum ſit omnis potentia: ſin ſecus, ſunt impoſſibiles; vel potius, termini nihil ſignificant. Fruſtra vero rogares, num iſtiuſmodi termino poſſet eſſe res ſubjecta; cum termini nihil ſignificent niſi Idearum inter-

PARS I. ventu: hujuſmodi autem termino ex pluribus nominibus concreto nulla ſubeſt Idea.

Quae autem fieri poſſint, vel non fieri, vix noſtri eſt judicii certo ſtatuere: cum pro ingenii noſtri tenuitate, ſaepe nos lateat ea inter terminos magis complicatos repugnantia, quae haud illum lateret qui pleniorem haberet rerum notitiam. Ubi vero ſatis apparet repugnantia, recte pronunciamus terminum eſſe Impoſſibilem.

Praeter Entis Ideam omnes aliae relativae.

VI. De Entis Idea hoc monemus, eam ſolam eſſe prorſus abſolutam: caeteraſque omnes, ſive ſubſtantiarum, ſive modorum aut attributorum qualiumcunque, aliquam ſui Objecti ad alia habitudinem aut relationem, vel diſtincte et clare, vel confuſe et obſcure, in ſe involvere; quod ſingulas percurrenti facile patebit.

CAPUT II.

De Axiomatis Metaphysicis.

AXIOMATA METAPHYSICA dicuntur 'Propoſitiones generaliſſimae per ſe per-'ſpicuae, atque immutabiles.' Neque quidem omnis propoſitio per ſe perſpicua eſt Axioma, niſi ſit immutabilis; neque omnis immutabilis eſt per ſe perſpicua. *Axioma quid.*

Haec Axiomata ideo dixerunt antiqui innata, quod hominibus naturale ſit ea intelligere; quum eam rationis habeant vim, quae omnes fere ad earum notitiam perducet. Innata autem, recentiores quidam ea tantum dicunt, quae a primo animi ortu nota erant et obſervata. Hoc ſenſu non ſunt Axiomata haec innata; quum illorum termini generaliſſimi ſerius omnino in mentibus oriantur, poſt plures demum Idearum ſingularium comparationes, qualitatibus eas a ſe invicem diſcriminantibus ſepoſitis. Neque quia omnes hiſce Axiomatis prompte aſſentiant, efficitur ea a primo fuiſſe cognita, aut menti a primo impreſſa. Aſſentiuntur enim omnes propoſitioni cuivis, etiam ſingulari, de re quavis ſenſili quae objicitur; ubi manifeſta eſt *Quo ſenſu innata ſunt.*

PARS I. inter Subjectum et praedicatum, connexio, vel repugnantia: Ideas autem ſingulares et ſenſiles, hi authores innatas eſſe nolunt.

Nullum principium omnium primum.

II. NULLUM eſt humanae cognitiones principium omnium primum. Plurima enim axiomata pariter per ſe innoteſcunt, ut etiam propoſitiones plurimae minus generales: atque in omni demonſtratione aut ſyllogiſmorum ſerie, terminus quiſque extremus ſemel reperiri debet in propoſitione aliqua per ſe evidenti, alioquin nulla erit rationis concluſio.

Veritatis criterium.

De veritatis criterio fruſtra laborarunt quidam; quum non alia reperiunda ſit praeter ipſam rationis facultatem, aut menti congenitam intelligendi vim.

Veritates aeternae.

Effata per ſe evidentia, ut etiam veritates demonſtratae, ideo dicuntur aeternae et immutabiles, quod quocunque demum tempore mens quaelibet ad eas conſiderandas ſe converterit, eum cernet inter ſubjecta et praedicata, vel nexum vel repugnantiam, quae in propoſitione enunciatur. Neque hujus nexus aut repugnantiae alia cauſa quaerenda, quum quae ipſas Ideas formavit: quum in ideis quibuſdam, aliae ita neceſſario ſua natura implicentur, ut ſine iiſdem diſtincte et plene intelligi nequeant. Unde neque potentia Dei mutabilis eſt iſtiuſmodi propoſitionum veritas; quum intelligi aut cogitari

nequeat ſubjectum, quin et ſimul praedicatum includat. CAP. II.

III. De his Axiomatis quemquam ſerio poſſe dubitare, non eſt credibile. Si quis de omnibus dubitaret, is certe ſemper haereret. Neque hoc effatum, 'ego cogito,' quamvis omnium propoſitionum Abſolutarum prima ſit, alii cuivis eruendae inſerviret, apud eum qui de Axiomatis dubitaret; ne quidem, ad hoc ipſum colligendum, quod ipſe ſit. Multo minus ad concluſiones Abſtractas valebit haec propoſitio abſoluta. Ex abſtractis enim ſolae oriuntur concluſiones Abſtractae, et ex Abſolutis Abſolutae. *Indubitabilia*

Quantumvis autem de horum Axiomatum veritate communis ſit omnium conſenſio, ut etiam de veritatibus omnibus demonſtratis, apud eos qui demonſtrationes capiunt; minime ſomniandum eſt, omnes eam veritatem unicam in natura quadam communi contemplari, tanquam modum quendam ipſi inhaerentem. Ubi enim multi ideas habent prorſus ſimiles, licet non eaſdem, ſimiles etiam cernent inter eas nexus et cognationes: unde tantum efficitur omnes ſimili rationis vi eſſe inſtructos. *Non in Deo cernuntur.*

Nec minus errant qui tanti haec faciunt Axiomata, ut neceſſaria cenſeant, aut utiliſſima in omni rerum cognitione. Singulares enim et minus generales propoſitiones, priores innoteſcunt, *Axiomata parum utilia*

PARS I. etiam citra Axiomatum opem; licet eorum ſubſidio, veritates antea cognitae aliis facilius exponantur.

Axiomata omnia per ſe innoteſcunt, ubi animus ſe ad ea contemplanda converterit. Neque ex Inductione naſcitur ipſis fides; quae omnis ea ratione ſubnixa parum firma eſſet futura, quam tamen cernimus firmiſſimam.

Duo utiliora. IV. INTER Axiomata metaphyſica praecipue utilia ſunt haec duo, omnino veriſſima, ubi de rebus ſubjectis loquimur, non de Ideis. 'Omne Ens exiſtit, et, ſoli Enti vera qualitas, 'aut affectio, aut actio, eſt tribuenda.' Horum ope, tollitur confuſio Metaphyſicae ſolennis; ubi quae Ideis aut vocibus ſunt propria, rebus extra mentem adſcribuntur. Huic malo praecideretur ſaepe occaſio, ſi quis hoc ſibi in Metaphyſicis imperaret, ut 'nomini cuivis adjectivo 'ſuum adjungeret ſubſtantivum,' quamvis Latini ſermonis ratio hoc non exigat.

Ex his Axiomatis, hoc aſſequimur Corollarium: 'Omnes propoſitiones abſtractas et af-'firmantes, ubi de rebus, non Ideis agitur, eſſe 'hypotheticas;' ubi intelligitur Exiſtentia objecti, tanquam conditio antecedens, ſine qua non ſunt verae.

Fruſtra hic loci congeruntur Axiomata quaedam alia. 'Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe et

' non esse: quodlibet est vel non est: totum ' est majus sua parte: quae conveniunt in uno ' tertio conveniunt inter se:' et similia plura: quorum alia nullum praebent usum; alia haud satis communia, ut omni rerum generi convenire possint; quaedam tamen axiomata haud inutilia * deinceps tradenda.

CAP. II.

Caetera parum utilia, aut parum communia.

* Vide Cap. IV. 5. de Causis. Locum de Axiomatis eorumque utilitate, nuper persecutus est Wolfius in Ontologia, diligentia quae quibusdam obscura videbitur.

CAPUT III.

De Proprietatibus Entis.

Attributa Entis communiſſima ſunt Ideae quaedam in ipſa Entis notione involutae et implicatae, quae cum ipſo Ente reciprocantur, et de omnibus ejuſdem inferioribus praedicari poſſunt.

Unitas, Identitas, Diverſitas.

Attributa Entis recenſentur haec tria; Unitas, Veritas, Bonitas; quibus adjungunt quidam connexionem aliquam cum Spatio et tempore: ſive Ubi, et Quando.

Unitas vel Specifica eſt, vel Numerica, prior dicenda potius eſt Similitudo; poſterior, Identitas. Unitas Numerica ſatis nota definitionem reſpuit. Neque alium praebet uſum ſcholaſticorum de Unitate doctrina, quam ut corrigat ipſorum de naturis univerſalibus errores. Unitatem dicunt proprietatem, ‘ qua Ens eſt ‘ indiviſum in ſe, et diviſum ab omni alio.’ Quod nihil aliud ſonat, quam quod nihil ſit plura ſui ipſius. Nulla autem de Identitate moveri poteſt quaeſtio niſi ubi duae occurrunt Ideae aliqua ratione diverſae; ubi ſaltem res quaedam diverſis obſervata erat temporibus, aut in diverſis locis. Temporis vero, et Spatii partes quaevis, ab omnibus aliis Spatii et Temporis

partibus ſunt manifeſte diverſae, licet omnes ſint ſimillimae. Si quidem diſpares aut diſſimiles ſint rerum Ideae; res ſimul eaſdem excitantes planiſſime novimus eſſe diverſas. Cap. III.

Mentium, Idearum.

De Identitate autem oriuntur quaeſtiones, ubi agitur vel de ipſa mente, vel de Ideis, vel de rebus corporeis. Mentem ſuam eandem manere, ſibi conſcius eſt quiſque, repetentia illa, ſive Perceptione Interna, certiſſima, aſt ineffabili, qua novit ſuam mentem a mente quavis alia omnino diverſam eſſe. Alteram vero mentem diverſis temporibus obſervatam, eſſe eandem, argumentis tantum Probabilibus colligimus; quae tamen ad certitudinem proxime aliquando accedunt. Ubi diverſis temporibus revocatur ſimilis omnino Idea, Judicium, Senſatio, mentiſve motus aut affectio quaelibet, ex ipſis temporibus diverſis, diſcrimina quaedam haec repetita capiunt; ut vix eadem dici poſſint cum prioribus, quibus ſunt ſimillima. Vix tamen tanta eſt haec diverſitas, quanta inter corpora, eodem tempore diverſa occupantia loca; aut corporis ejuſdem motus prorſus ſimiles diverſis temporibus repetitos. Rerum corporearum licet ſimillimarum, vera apparebit diverſitas, ſi in eodem tempore diverſa loca poſſideant: ſine quo indicio, haud argumentis certiſſimis conſtabit de corporum ſimilium diverſitate;

PARS I. Quae autem ſimilia ſunt corpora, aut diſſimilia, Idearum ope quas excitant dijudicandum erit.

Individuationis Principium.

Hactenus de indiciis unde identitatem cernimus aut diverſitatem. Si quaeratur de cauſa cur res ſit una, aut de Individuationis principio in re ipſa: non aliud aſſignandum, quam ipſa rei natura exiſtens. Quaecunque enim cauſa rem quamlibet fecerat aut creaverat, eam unam etiam fecerat, aut individuam, quo ſenſu volunt Metaphyſici. Hujus tamen Unitatis plura ſunt genera.

Aut rerum corporearum.

Res corporea ideo ſaepe dicitur una eademque, quod omnes materiae partes eaſdem manere judicemus: quae Subſtantiae UNITAS dicitur. Corpora autem organica et arte facta quaedam; ubi non curant homines Materiae Identitatem, eadem dicuntur manere, ubi ſimilis prorſus manet coagmentatio, aut ſtructura artificioſa iiſdem uſibus idonea; licet indies mutetur materia, novis partibus in locum priorum ſuccedentibus; quod omni corpori animato, iiſque quae gignuntur e terra, contingere cernimus.

Veritas apud Logicos et Ethicos.

II. VERITAS, apud Logicos et Ethicos, aliquid utile, et cognitione dignum, ſonat: apud Metaphyſicos, non aliud, quam 'quod res 'quaeque talis ſit, qualem Deus omniſcius eam 'eſſe judicat; aut, quod vere ſit id ipſum quod

'est.' Veritas Logica est 'propositionis Cap. III.
'convenientia cum rebus ipsis.' Ethica, cum
'mentis sententiis.'

Veritas Metaphysica apud quosdam scrip- *Veritas Metaphysica.*
tores claros, idem sonat quod Naturae Constantia, Stabilitas, aut metaphorica quaedam Soliditas et Amplitudo: quo sensu, quod Infinitum, est etiam verissimum; Finita quaeque minus vera; eorum saltem Veritas arctis inclusa est limitibus, ultra quos nihil veri habent. Ex verae qualitatis cujusque notione, ad gradum ejusdem altissimum, generali quadam et obscura notione attingendum, facile mens assurgit; atque in proclive est credere, aliquam esse naturam ea perfectione summa et absoluta praeditam. Quod ad durationem attinet et extensionem, vix ac ne vix quidem se cohibere potest mens, quin sine ratiocinatione credat aliquid esse et immensum et aeternum.

III. Hoc solum sensu dici possunt omnia Bona, *Bonitas sive*
quod Deum omnia consilio optimo constituisse *Perfectio.*
credamus, in fines praestantissimos, quibus omnia aptissime inserviant: aut quod nulli rei desint sua attributa essentialia, quae metaphysicis Perfectiones dicuntur: quod cur Bonitas dicenda sit, aut quid afferat ad rerum cognitionem, nemo facile dixerit. Physicam habere Bo- *Perfectio*
nitatem dicuntur ea, 'quae naturam quam- *Physica.*

PARS I. 'vis percipientem beatam faciunt et conser-
'vant; eique sine detrimento sunt grata.' Res item viventes et sensu praeditae, ratione sui dicuntur Perfectae, cum eas habent affectiones et vires, queis se ipsae beatas facere aut servare possint. Istiusmodi rerum genera alia aliis perfectiora, quo plures habent sensus viresque sublimiores voluptates percipientes. Quarum ubi nulla alicui deest, quae in hoc rerum genere reperiri solent; dicitur Perfectionem partium possidere: quae quo majores sunt, eo graduum Perfectione praestat. Aliorum vero habita ratione, censentur res vita, sensu, et rationis viribus praeditae MORALITER BONAE 'ideo prae-
Bonitas Moralis. 'cipue quod eas habeant vires, et eam simul
'voluntatem constantem, aut Indolem quibus et
'possint, et velint aliorum felicitati inservire.' Omnes enim eas sibi appetunt vires; eam indolem in alio laudant; eam sensu interno experiretur quisque, sibi sua facta, consilia et voluntatis recolenti, fore laetissimam*.

Quum autem plurima sint rerum viventium genera, diversis praedita sensibus, qui ex rebus longe diversis voluptatem capiunt; non eaedem vires in omni Rerum genere Perfectiones censendae: quae uni generi utiles sunt et jucundae; alteri inutiles forent et pestiferae: Quaeque rei

* Vid. Partis II. C. I. 5. de recti et decori sensu.

uni, ſummam quam capere poſſit, beatitudinem efficerent, eas alterum genus admittere non poteſt; aut, ſi admitteret, viliſſimam ei voluptatem miniſtrarent. Hinc orta eſt Perfectionum diviſio inſignis, quod ‘ quaedam naturam quamcunque iis ornatam, beatam efficerent, nullamque imperfectionem includerent;’ aliae vero, ‘ naturis tantum humilioribus prodeſſe poſſint, imperfectionem involventes, eique medelam afferentes aut levamen.’ Hae dicuntur Perfectiones respectivae, aut, Secundum Quid; illae, vero, dicuntur purae et absolutae. Cap. III. *Perfectiones absolutae, et ſecundum quid.*

IV. Inter Entis attributa communiſſima, viris quibuſdam doctiſſimis annumerantur ‘ nexus quidam cum Spatio et Tempore;’ quae veras res eſſe contendunt, ſi modo ulla noſtris Ideis ſit fides. Vera videntur habere attributa: utrique ſua propria eſt extenſio, ſeu quantitas, in infinitum porrecta: utrique ſuae ſunt partes immutabiles; quae, licet Res a ſe diverſas ſibi coexiſtere ſeque penetrare ſinant, nullis tamen ejuſdem ſecum naturae partibus ſunt penetrabiles. Mutua inter Spatium omne et Tempus intercedit habitudo aut connexio: quum tempus quodvis idem ſit in omni Spatio; et Spatium quodvis idem manere in omni Tempore videatur; cum utriuſque parte aliqua connectuntur *Ubi et Quando, an de omnibus praedicari poſſint?*

PARS I. Res fere omnes: eorum ope cernitur Rerum ſimillimarum diverſitas veriſſima, cum partes Utrumque habeat omnino diverſas: ſine Utroque intelligi nequit Motus, ejuſque Velocitas: Diuturnitas autem praecipuum dat voluptati omni, aut dolori, ad vitam, vel beatam, vel miſeram, momentum: ſine utroque intelligi nequit mundus corporeus, aut ulla corporis affectio. Sine Tempore eſſe nequeunt mentis humanae affectiones ullae, aut actiones; quae tamen neutiquam cum Spatio videntur connexae. Neutrius pars aliqua ſine reliquis eſſe poteſt; vel interire reliquis manentibus. An tamen ſint res per ſe a Deo affectae; quo mundum corporeum et res ſucceſſivas efficere poſſit; an Dei infiniti Modi infiniti, haud facile eſt certo aliquid ſtatuere. Prior tamen ſententiae, utcunque ita obſcura ut mentis aciem fugiat, veroſimilior videtur; quia utrunque ex partibus conſtat vere diverſis. In Tempore durare videntur omnia nobis nota, omneſque rerum affectiones: Temporis notio quaedam, omnem comitatur perceptionem, aut affectionem, cujus ipſa mens eſt conſcia. In Spatio, exiſtere videntur ſola corpora, eorumque affectiones; non vero affectiones illae quae ſpiritibus videntur propriae: unde et facilius animo fingimus, nullum fuiſſe aliquando Spatium extenſum, antequam Deus mundum effecerat

corporeum; Durationem vero ſive Tempus, vel initium habuiſſe, vel finem habiturum, vix, ac ne vix quidem, fingere poſſumus. Quam autem connexionem cum alterutra habeat Natura Divina, plane neſcimus*. Cap. III.

Philoſophi quidam antiqui et Spatium et Tempus credidiſſe videntur notiones quaſdam nobis prorſus neceſſarias, quibus tamen nihil externum reſponderet, magis quam Numerorum ideis. Spatium voluerunt eſſe magnitudinis corporeae ideam, aliis omnibus corporum affectionibus detractis; Tempus item, Continuationis ſive ſucceſſionis, quam in animi motibus, aut in cogitationum ſerie obſervavimus, ideam ſimiliter abſtractam. Numeris quinetiam, magnitudinem quandam aut quantitatem, parteſque et relationes, pariter ac Spatio et Tempori, aſcribi; quum tamen fateantur omnes, nullum eſſe extra mentem Numerum a rebus numeratis diverſum. Hac tamen ratione neutiquam rem expediemus: nemo neceſſario numerum ſibi fingit ultra res quaſque numeratas *Sententia priori diverſa.*

* Hac de quaeſtione conſulantur, Lockius in tentamine de intellectu humano, Henricus Morus in Encheirid. Metaph. Cudworthius in Syſtemate intellectuali; S. Clericus, in Epiſtolis ad Leibnitium, viri omnes clariſſimi, doctiſſimi, aliique ſcriptores ſatis noti.

PARS I. porrectum, imo cunctis rebus numerandis amotis superstitem; nemo numerum veris rerum externarum qualitatibus per se implicatum. Neque rerum situs, motusve, aut ipsam cogitationum successionem, aut denique rerum aliarum cum Tempore et Spatio Coexistentiam, quae dicitur, intelligere potest quisquam, nisi aliquid veri extra mentem his ideis respondeat.

Quantumvis autem haec duo res verae esse credantur, nulla videtur causa cur magis unius rei credantur attributa quam alterius cujusque quae simul extenditur et durat. Neque ideo recte colligimus utrumque increatum esse et aeternum, quod neutrum cogitando mens amovere valeat: quum non magis a corporea natura colores amovere possunt qui visu gaudent; quibus tamen ideis nihil externum in ipsis rebus simile est. Magnum autem est discrimen inter necessariam quandam mentis impulsionem ad quaedam sibi repraesentanda, et certam rationis conclusionem quod haec vere sint. Nullus quidem est in Philosophia locus ubi magis appareat ingenii humani imbecillitas, in iis comprehendendis quorum continuus fere est usus, quaeque semper in omnium sermone versantur, quam in hoc ipso loco de Spatio et Tempore.

Quando permanens et successivum.

Inani voce, sine ullo scientiae augmento, sonare videntur scholastici quum τὸ Quando divi-

dunt in Permanens seu Simultaneum et succes- Cap. III.
sivum; illud soli Deo ascribentes; ut etiam, quum τὸ Ubi dividunt in Circumscriptivum, quod corporibus convenit; Definitivum, quod spiritibus creatis; et Repletivum, quod soli Deo, sine ulla extensione, omnia loca per essentiam replenti, adscribunt: quae intelligentiae nostrae vim et notionem fugere videntur.

Qui autem viri docti sidenter contendunt axiomatis in philosophia necessarii loco habendum, 'Quod nullibi est non est,' ut etiam, 'nihil agere potest ubi non est per essentiam;' videant ipsi, an τὸ 'alicubi esse,' idem sonet quod vel 'per omne spatium diffundi,' quod 'soli infinito convenit,' vel 'per spatii partem 'diffundi,' quod solis figuratis et extensis conveniet; atque an non utrumque rem exigat ex partibus, utcunque connexis, conflatam: deinde, numnam horum alterutrum mentis qualitatibus, aut actionibus, judiciis, ratiocinationibus, amori, odio, desideriis, gaudiis, moeroribus, conveniat. Videant etiam, numnam verborum involucris decipiantur; quod per adverbia Ubi, Usquam, Quando, nominum Temporis, et Spatii extensi, usum vitare satis habeant.

CAPUT IV.

DE ENTIS DIVISIONIBUS PRAECIPUIS.

Entis Dependentia, aut independentia; haec, perfectio ſumma.

ENTIS prima diviſio eſt in DEPENDENS, ſive factum; et INDEPENDENS, quod a nullo factum aut creatum erat. Independentia, perfectionem arguere videtur, Abſoluta, abſolutam: Reſpectiva, reſpectivam. Immo independentia abſoluta et plena perfectionum infinitatem arguere videtur: cum intelligi nequeat, Rem omnino primam, cujus natura nullius arbitratu limitata aut circumſcripta fuerat, vel unum quemvis prae alio finitum perfectionum modum poſſidere; vel ad unius generis perfectiones reſtringi, ne alias etiam poſſideat. Summam ergo perfectionem habet, quod omnino primum eſt, unde et alia omnia orta.

Haud recte videntur viri quidam docti ſuam de Independentia ſententiam expoſuiſſe, quaſi ulla naturae primae perfectio aut attributum, ipſi naturae cauſa fuerat aut ratio cur extiterit; cum illa omnem eſſendi, ut vocant, et cauſam et rationem reſpuat. Neque in natura quam nondum repraeſentavimus exiſtentem, intelligi poteſt attributum quodvis, aut interna quaevis Neceſſitas, hoc efficiens aut exigens ut ipſa res exiſtat.

Concludunt igitur Metaphyſici; ‘eam omnem NATURAM eſſe DEPENDENTEM, cui neceſſarius eſt omnino modus aliquis, ex certo modorum genere, ſi modo omnium modorum iſtius generis pariter ſit capax.’ Si enim fingeretur eſſe independens; unum aliquem, ex hypotheſi, modum habuerat, ante ullam cauſae cujuſcunque actionem aut electionem: hic igitur unicus modus cum rei iſtius natura aut eſſentia, prae reliquis ejus generis modis, magis erat connexus: aliorum igitur ejuſdem generis modorum non pariter capax eſſet, nec eos quoſvis parirer admitteret. Corpus autem omne aliquem locum, aliquam figuram, ſtatumque item vel motum neceſſario habet; neque ſine hujuſmodi affectionum aliqua eſſe poteſt: ad omnia tamen loca eſt indifferens; omnes figuras, et motum omnem vel quietem, pariter recipit: res igitur eſt dependens et effecta. CAP. IV. *Dependentiae inditium.*

II. PRIORI affinis eſt alia ENTIS diviſio in NECESSARIUM et CONTINGENS, ſive potius VOLUNTARIUM. NECESSARIUM eſt ‘quod non a voluntate pendet;’ eſtque terminus voluntario aut precario oppoſitus. *Ens neceſſarium et contingens.*

Neceſſitas alia eſt Interna, quae et antecedens dicitur, in ipſa rei natura ſita; qualis inter terminos abſtractae propoſitionis ſive evidentis, ſive demonſtratae, reperitur connexionis Neceſ- *Neceſſitas interna et externa.*

PARS I. sitas; quae absoluta etiam dicitur, in omni loco et tempore eadem manens: alia est Externa Necessitas, Subsequens, sive Hypothetica, quae rem aliam prius positam, aut hypothesin, necessario consequitur. PERCEPTIO dicitur NECESSARIA, 'quae nobis vel invitis obvenit;' VOLUNTARIA, contra, 'quam mutare, praepedire, aut sistere possumus. JUDICIUM est 'NECESSARIUM; cum ea est objecti natura, 'quae a nulla causa ita mutari possit, ut judi'cium non sit verum:' aut, cum ea 'cernitur 'terminorum connexio, aut repugnantia in 'propositione declarata, quae compertum fa'ciat, propositionem semper fore veram.' Haec propositionum abstractarum necessitas, in omni loco et tempore eadem manet: atque argumenta quibus ostenditur, per metaphoram dicuntur causae; Causae scilicet cognoscendi. ESSENDI NECESSITAS, unde Entia dicuntur necessaria, notat Existentiam a voluntate non pendentem: quae si ab humana voluntate non pendeant, respectu Hominum dicuntur haec Entia Necessaria. Si a nulla omnino voluntate pendeat Existentia, dicitur NECESSITAS ABSOLUTA: quum scilicet, res illa intelligitur ab aeterno per se fuisse, atque adeo stabilis et perfecta, ut neque sua sponte intereat, neque ulla aliena vi perire possit. Eadem etiam dicitur Necessitas

intrinſecus; diſtincta a neceſſitate extrinſecus proveniente, et ex hypotheſi; quum res ideo tantum ſunt neceſſariae, quod pendeant ab immutabili Dei voluntate, vel ſequantur neceſſario ex aliis rebus prius poſitis. Ex rei autem cujuſvis neceſſitate abſoluta colligi tantum poteſt, eam eſſe aeternam per ſe: vix tamen inde erui poſſe videntur alia ejus attributa, aut perfectiones; niſi Neceſſitatem Judicii confunderet quiſquam cum Neceſſitate ipſius Rei. Neque ullum Rei attributum ipſum ſubjectum antecedere, aut ei eſſe rationem eſſendi, dicendum eſt. CAP. IV.

III. Entia dividuntur in SIMPLICIA et MULTIPLICIA. Simpliciora ſunt Animi ſive Spiritus; de quibus alias: eorumque is ſimpliciſſimus qui non modo partium omnium expers eſt, verum omnes ſuas virtutes cum natura ita neceſſario connexas habet, ut ei nihil adventitium obtingere poſſit, nihil novi obvenire. Multiplicia vel ſunt Compoſita, ubi partes naturali quodam nexu aut unione conjunguntur, qualia ſunt corpora animata et vegetantia. Alia pure multiplicia, aut acervus: aut moles corporea nuda cohaerendi vi praedita; quae hac ſola ab Ente per aggregationem diſtinguitur; cui tamen non deeſt ſua unitas metaphyſica. *Ens ſimplex et multiplex.*

IV. ALIA eſt ENTIS Diviſio; in FINITUM,

PARS I. et INFINITUM. Finitum ex ipso nomine patet. Infinitum est, 'quod omni finito majus;' aut, 'quod omnem ad finita respuit habitudinem finitam.' Finita apparent omnia quae sensu percipiuntur. Infinitatis notionem acquirimus, non solum ex eo, quod in certis rebus, Numeris, nempe, Magnitudinibus, et Tempore, mens semper progredi possit; videatque in addendis novis partibus, in Idea augenda, aut amplificanda, ut etiam in quantitate quavis dividenda, ubi ad partes prorsus minimas perveniri nequit, mentis progressum impediri non posse; quae Infinitas, quibusdam potentialis dicitur: verum praecipue, quod in spatio contemplando, cernat mens, nullibi fines intelligi posse, ultra quos non porrigatur; quodque certissimum sit aliquid semper fuisse sine initio; et durationem praeteritam fuisse infinitam. Hanc Infinitatis notionem, ad longe alias res transferimus; ad Potentiam, nempe, Sapientiam, et Bonitatem; cum tanta haec esse volumus, quanta omnino esse possunt.

Finitum et Infinitum.

De Infinitis, quaestiones difficiles.

De INFINITIS, plurima acriter agitantur. Haec videntur verosimilia: 'PLURES ejusdem 'generis Res infinitas undequaque, vix esse 'posse. INFINITUM, infinito, qua ratione est 'infinitum, magis esse non posse. INFINITA, 'prout infinita sunt, multiplicari non posse;

' nec, ad partes finitas, ullam habere poſſe ra- CAP. IV.
' tionem finitam; quamvis res una ratione in-
' finitae, alia finitae, multiplicari et dividi poſ-
' ſint, ſi modo ullae ſint Res iſtiuſmodi.' In hiſce quaeſtionibus, quae mentis noſtrae vires omnino ſuperant, ſi quis morari velit, eum tantum fructum capiet, quod ſuae tenuitatis magis ſibi conſcio ingenii arrogantia omnis retundetur.

V. ALIA ENTIS Diviſio eſt, in CAUSAM et CAUSATUM. Idea Potentiae, Vis, Efficaciae, Actionis, Cauſalitatis, eſt ſimplex; quae oritur cum cernimus, ex rerum quarundam vicinia, earumve motu, aut in alias res impulſu, novos in nobis ſenſus, et in rebus iſtis aliis motus novos, aut formae mutationes, continuo ſequi. Immo, noſtri propoſiti conſcii experimur, conatu noſtro Ideas in mente varie mutari, et in corporis noſtri membris motus excitari. In hiſce autem eventibus, non ſolum cernimus mutationem expetitam ſequi; verum ipſam percipimus animae noſtrae aliqualem Energiam, ſive efficaciam. Actionis igitur aut Efficientiae notio, ſimplicioribus plane annumeranda, notat aliquid longe diverſum, ab eo quod res aliae earumque mutationes alias ſubſequantur; aut quod haec illam tempore anteceſſerat, aut antecedere ſolita ſit: quantumvis nos ſaepius *Cauſa et cauſatum.*

PARS I. non aliud habeamus Efficientiae indicium. Cognitis deinde corporum affectionibus iis quae ſenſus feriunt, duritie, nempe, inertiae vi, gravitate, mobilitate, et figura; ex ipſa harum qualitatum vi et natura colligere poſſumus, quaſnam mutationes, in aliis rebus, aut in ſe, corpora, quibus inſitae ſunt hae qualitates, motu ſuo aut conflictu efficere poſſint. Quum vero cauſarum naturae nobis parum ſint perſpectae, exigua etiam eſt efficientiae notitia et ſaepius rerum uſu et experientia, quam certis ratiocinationibus intelligimus, quales effectus ex datis quibuſcunque cauſis ſint ſperandi, aut ex quibus cauſis dati effectus orti ſint. Tanta quidem hac de re hominum eſt ignorantia, quod quamvis vere nos aliquid in cogitationibus noſtris immutandis, atque in deſideriis et appetitionibus, agere conſcii ſimus; incerta tamen eſt omnis alia hominum efficacia, vel in ipſis corporibus ſuis movendis et regendis; de quo alias *.

Corporum vires. Quod ad eas quae aliis corporibus tribuuntur vires aut attractus, ex quibus oriri videntur Gravitas, partiumque Cohaeſio, Elaſticitas, aliaque ejuſmodi, an eae ipſis corporibus neceſſario per ſe inſint, aut cum materiae inertia cohaerere poſſint; an contra,

* Vid. Partis II. c. IV. 1.

* continua naturae longe disparis et incorporeae vi, raro quodam ordine, secundum certas leges efficiantur; in eo disputant viri doctissimi: quo modo, etiam de motus inchoati continuatione, ejusque post corporum conflictus communicatione. Quae praecipue ad vim quandam et consilium naturae a corpore longe diversae, confugiendum esse docent argumenta, in eo fundantur; quod aliae atque aliae innumerae naturae leges longissime diversae constitui potuisse videantur, atque sine ulla repugnantia intelligi, pariter ac illae quae cum summa omnium salute et utilitate obtineri videmus. CAP. IV.

Causae Logicae, morales, &c.

De Causis Logicis, quae cognoscendi dicuntur, quales sunt praemissae conclusionum; aut Metaphysicis, quae ab effectis non vere distinguuntur, qualia sunt attributa facilius cognita, unde alia oriri videntur, nihil hic dicendum. Causae Morales vocantur, quae pro suis voluntatibus, aut animi affectionibus, ea egerint aut omiserint, unde boni aliquid aut mali, vel sponte et sua natura, vel aliarum causarum qualiumcunque quas incitaverint, aut cohibere neglexerint, interventu nasciturum, provideri licuerat. Negationibus igitur et Priva-

* Hac de re consulatur Malebrancius, et Newtonici quidam.

PARS I. tionibus ſuae non deſunt cauſae morales magis quam rebus veris.

Cauſae Materiales et Formales, impropriae.

Quae dicuntur CAUSAE MATERIALES, FORMALES, et FINALES, hec nomen per metaphoram ſortiuntur; ſola EFFICIENS proprie dicitur CAUSA. Materia nihil agit; licet ex ea, aut in ea Cauſa vera aliquid efficiat. Forma non efficit, verum effecta eſt.

Cauſae Finales.

FINIS eſt 'res quaedam grata et expetita, 'cujus conſequendae ſpe incitatur Agens ad a-'gendum;' voluptas forte, aut ea quae Voluptatem praebent. Voluptas non per ſe quicquam agit; ejus tamen ſpes et appetitio hominem movet, ut velit ea agere, quae voluptati conſequendae videntur idonea.

Qui igitur propter finem agit, prius illi notus erat Finis, et deſideratus: inſita illi erat φιλαυτία, ſive ſuae felicitatis appetitio; aut, benigna quaedam animi erga alios affectio. Immo qui finem ſui cauſa expetit, illi res expetita ſenſu quodam, omnem ratiocinationem praecedente, grata erat conſtituta; non enim de Finibus ultimis, aſt tantum de ſubſidiis, aut Mediis quae dicuntur, locus eſt ratiociniis. Si quis autem alterius gratia rem expetat, in eo etiam neceſſario praeceſſerat affectus aliquis benevolus erga illum cujus gratia rem cupit. FINIS ULTIMUS eſt 'quicquid propter ſe eſt expeten-

dum:' Unde, cuivis homini ſunt plures Fines ultimi; inter quos quidem fieri poteſt contentio, aut comparatio, ut ſciri poſſit, quinam majus habeat ad vitam beatam momentum. In ea contentione, exiguus eſt ratiociniis locus: cum quaeſtio ſenſu potius dirimenda ſit, vel externo, vel interno, qui doceat, quaenam maximam praebent voluptatem: vel, rerum uſu, qui monſtret quaenam ſint voluptates ſtabiles magis et diuturnae. CAP. IV.

De CAUSIS EFFICIENTIBUS haec traduntur Axiomata, vera omnino, aut vero ſimillima. *De efficientibus axiomata.*

' 1. Omnis cauſa eſt Res vera ſive exiſtens.

' 2. Omnis cauſa ſuo effectu prior eſt, ſi non ' Tempore, ſaltem Natura.' id eſt, ut illa exiſtat, non exigitur rei effectae exiſtentia; haec autem exiſtere nequit, ſi non exiſtat cauſa. Res enim vi effectrici praedita, non ab effectu ſuo pendet; licet Cauſae denominationem ab effectu ſortiatur. ' 3. Nulla res ſui eſt Cauſa. ' 4. Neque plures res ſibi mutuo ſunt Cauſae:' ſive, ' in cauſis non eſt circulus.' ' 5. Ubi primum agit Cauſa, ſine ullo temporis intervallo, verus ejus effectus exiſtit;' licet non totum illud eventuum ſyſtema, quod longa forte actionum ſerie efficere ſtatuerat. ' 6 Nulla eſt ' in re facta vera praeſtantia ſeu perfectio, quam ' non poſſidebat ipſa Cauſa;' ſi non ſimili mo-

PARS I. do, praestantiore tamen, aut saltem aequali.

7. 'Nihil quicquam aget Causa quaevis, quae 'neque per suam indolem, et naturam, nec 'praesentem dispositionem in datis quibusvis 'adjunctis, ad hoc prae alio efficiendum, ad 'nunc agendum potius quam cessandum, de'terminata est, sed utrique parti indifferens 'manet.' Haec, assensum nostrum rapere videntur, per se, sine ulla ratiocinatione.

De effectibus.

Ex his colligunt Metaphysici. 1. 'Rei fac'tae aut creatae durationem continuam, aeque 'ac primam existentiam, causae effectricis vir'tuti acceptam esse referendam; sive exigatur 'continua causae actio; sive tanta rei creatae 'tributa sit a primo naturae stabilitas, aut per'fectio, ut pro tempore statuto durare possit. '2. Nullus effectus, saltem nullus qui ab hu'mana vi pendet, diutius manet quam donec 'causa operatur.' Non mirum hoc videbitur ei, qui hominum efficaciam perspexerit; quae omnis, solis cogitationibus et affectionibus suis varie mutandis, et motibus in corpore suo inchoandis aut dirigendis, impenditur; qui autem in corpore motus excitatur, saepe sine ulla vi nostra continuatur: quaeque membrorum nostrorum ope, contiguis imprimitur corporibus vis, ea nobis invitis, sine nostra efficacia, durare videtur.

'Cauſarum efficientium ſeriem infinitam CAP. IV.
'eſſe non poſſe, ſine Cauſa prima et indepen-
'dente,' quae oſtendunt argumenta, ſunt vero ſimillima: quod, ſcilicet, quiſque in ea ſerie Terminus ſit dependens et effectus; tota ergo ſeries effecta eſt. Cum tamen nihil ſit extra ſeriem, a qua tota ſeries pendeat aut efficiatur: quodque, de quaque ſeriei parte verum ſit, a cauſae alicujus efficacia proveniſſe quod ſit, potius quam non ſit: de tota igitur ſerie hoc verum erit, ejuſdem cauſam aliquam externam fuiſſe. His addi poteſt, quemque in ea ſerie Terminum, dempto ultimo, eſſe et cauſam et cauſatum; et pro quoque termino, eſſe Effectionem unam, et rem Effectam; addito autem termino ultimo, res effectas fore plures quam fuerant actiones efficientes: quod eſt abſurdum. Quum tamen argumenta horum quibuſdam paria et ſimillima, illud nempe, de toto infinito verum eſſe colligentia, quod de quaque parte eſt verum, ad evertendam Spatii et Temporis infinitatem adduci poſſint; hiſce ſolis niti argumentis, in quaeſtione illa graviſſima, an ſit DEUS, neque tutum videtur, neque neceſſarium; quum tantae potentiae et ſolertiae, per univerſum hunc mundum, tot ubique reperiantur veſtigia, quae ducant ad Naturam quandam longe praeſtantiſſimam, ſapientiſſimum et potentiſſimum

Nulla Cauſarum ſeries infinita.

PARS I. mundi conditorem. Hanc autem naturam praeſtantiſſimam, a priore cauſa fuiſſe ortam, nulla poteſt eſſe ſuſpicio; multo minus iſtiuſmodi Rerum fuiſſe ſeriem infinitam; cum quaeque in ea ſerie cauſa, hujus mundi conditori, virtute ſaltem par fuiſſe credenda eſſet. Qui igitur mundum factum fuiſſe credens, ad iſtiuſmodi cauſarum ſeriem, ne unicum Deum aeternum agnoſcat, confugerit, cum Res tanta virtute pollentes, etiam manentibus eorum operibus, olim interiiſſe haud credibile ſit; nae, ille ſibi Deos innumeros, in Dei unius locum ſubrogabit.

Cauſae rationales, neceſſariae, et contingentes.

VI. CAUSARUM etiam celebris eſt diviſio, in RATIONALES, NECESSARIAS, et CONTINGENTES. Contingentia vero, et Caſus et Fortuna, non veram naturam efficacem denotant: adhibentur enim haec nomina, cum effectus ita vel a cauſis naturalibus oriuntur, ut eos providere nequeamus; vel a Cauſis liberis, ubi nullum nobis apparet incitamentum, quod cauſam ad alterutram partem certo permoveret; neque indicium quodvis, unde ſpectator electionem praeſagire poſſit. Contingentia igitur omnia, vel a Cauſis neceſſariis, vel liberis efficiuntur. Cauſae porro neceſſariae, quae ſine conſilio aut voluntate agere videntur, Inſtrumenta potius ſunt putanda, quae funguntur, potius quam faciunt; cumque agere aut impellere videntur,

ipſae etiam aguntur, et impelluntur. Res igitur consulto agentes solae, veram habere in se vim, aut aliquid vere efficere videntur. CAP. IV.

De Causarum consulto operantium LIBERTATE, ardua est quaestio: an scilicet his competat 'Vis quaedam sui flectendi et convertendi, qua ad hoc vel contrarium volendum, se pariter movere possint:' quae CONTRARIETATIS LIBERTAS dicitur: ut si quis dicat, se posse vel quod sibi jucundum videtur, vel quod sibi videtur molestum et nociturum, quia nociturum est appetere, et consectari; vel 'ea saltem vis, qua ad agendum aut non agendum, volendum vel non volendum, semet inflectat;' quae, CONTRADICTIONIS est LIBERTAS. Stoicis placuit, Desideria nostra et Aversationes excitari, ab iis Boni aut Mali speciebus quae menti occurrunt, una cum ipsius mentis indole et affectionibus; idque secundum stabilem quandam naturae nostrae legem: Ipsam deinde mentis Indolem, a naturae prima constitutione, institutione deinde, et moribus conformari. Judicia denique et opiniones, secundum oblata in rebus ipsis boni aut mali indicia, pro ea quae tunc temporis menti inest sagacitate, cautione et diligentia, semper formari: volitiones etiam et actiones, ex animi affectibus, motibusque puris aut perturbatis, semper proveni- *Libertas quid?* *Stoicorum ratio.*

PARS I. re: Haec autem omnia actionum Antecedentia neceſſaria, ab ipſo Deo conſtituta fuiſſe et praeviſa. CAUSAS igitur eas dicunt LIBERAS, ‘ quae agere poſſunt quod volunt, et abſtinere ‘ ab iis quae nolunt; utcunque demum ad vo- ‘ lendum aut nolendum impulſae erant.’ vim enim illam ſui inflectendi, quam quidam, neque ab agentis indole, bonive aut mali ſpecie, neque ab agentis judicio, dirigi fingunt, abſurdam ſtatuunt et inutilem; cui nullus recte relinquitur locus, niſi ubi invitamenta occurrunt in utramque partem paria: quod rariſſime evenit. Quumque ita ſe res habet, nullum virtutis aut vitii ſpeciem haberet in utramvis partem ea ſui converſio. Atque ſi quis hac vi utens, contra ea quae ſibi videntur praeponderantia invitamenta egerit, actio ſtolida fuerit ſi non improba. De hac tota quaeſtione, optime quiſque judicabit, qui ſemet excuſſerit, ut percipiat; an non, in omni agendi propoſito deliberato, (nam ubi motu animi turbido, improvidi abripimur, nos hoc ſenſu liberos eſſe, pauci contendunt) ſpeciem quandam boni adipiſcendi, aut mali repellendi reſpiciat, a qua ad volendum mens movebatur: in rebus item prorſus paribus, an non ideo unam prae aliis eligat, quod haec primo occurrerat; aut, quia fictam quandam et imaginariam boni ſpeciem, huic parti quam amplectitur, ad-

junxerit. Urgent in hac re Stoici, μηδὲν ἀναιτίως oriri: si autem quicquam nunc efficeretur a causa quae indifferens esset, et huic aut illi parti aliqua, neque ad alteram, vel per suam indolem et naturam, vel, adjuncta quibuscum comitata ponitur, inflecteretur, huic mentis conversioni aut proposito nulla esset causa. CAP. IV.

Regerunt tamen alii, eam esse causarum rationalium naturam, ut se ad hanc aut illam partem flectere valeant; ipsasque esse sui flectendi aut vertendi causas; ipsisque hoc a natura datum. Largiuntur, eas sua judicia aliqua fere semper sequi. Duas tamen esse species praecipuas, quae voluntatem movent, honesti nempe officiique, aut jucundi utilisque; ad harum autem utramvis penes ipsos esse se flectere et convertere*.

VII. ENTIA denique dividuntur, in SUBSTANTIAS, et MODOS, sive ACCIDENTIA neque sine causa. Substantiae prima notio, eaque fere simplex cuique subnascitur ex eo quod sui manentis quisque conscius sit, mutatis subinde cogitationibus, sensationibus et affectibus quibuscunque; neque se alium quam prius fuerat, suspicari possit; licet mutentur hae mentis affec- *Entia dividuntur in Substantias, et Accidentia.*

* Vide Part. II. C. II. 3. et Part. III. C. III. 3. legatur Lockii libri supra laudati Cap. de Potentia; aliiqui scriptores passim occurrentes.

PARS I.

tiones. Visu item et tactu percipimus corpora, manente eorum quantitate sive extensione, mole, gravitate, soliditate, novos induere colores, novas figuras, et motum quiete mutare. Unde, 'Rem per se manentem, licet mutentur affectiones,' SUBSTANTIAM dicimus: 'Affectiones autem mutabiles, ACCIDENTIA.'

Qui modi verissimi.

MODI PRAECIPUI, substantiis suis vere aliquid adjicientes, videntur movendi vires, MOTUS, et FIGURAE, in rebus corporeis; et, OPERATIONES, aut PASSIONES, PERCIPIENDI, INTELLIGENDI et VOLENDI, in mentibus nostris†.

Substantiae corporeae et cogitantes.

SUBSTANTIAE sunt, vel, EXTENSAE; vel, COGITANTES: Utriusque plura forte sunt genera a primo sibi invicem disparia. Si quid veri sit in Spatio, ab omni corpore diversum est: immo inter ipsa corpora, fuere forte a primo discrimina quaedam insignia, quae nos latent. Rerum item cogitantium genera, a se invicem longissime diversa, forte sunt innumerabilia, quorum alia longe aliis praedita sunt sensibus et viribus, vitaeque degendae rationibus prorsus contrariis apta; a conchyliorum immobilium animabus viliſſimis, ne de stirpibus dicamus, ad

† Vide S. Clerici Epistolas contra Dodwellum, ejusque defensores, de Re sentiente a corpore diversa.

ſummos angelorum ordines, ipſumque Deum. Atque licet communi ſpiritus aut animae nomine haec omnia vocentur, haud tamen temere judicandum eorum omnium ſimilem eſſe naturam, aut gradu tantum a ſe invicem differentem. CAP. IV.

In corpore et magnitudine, rebuſque extenſis verſatur Phyſica et Mathematica, in Spiritibus Pneumatologia.

CAPUT V.

DE PRAEDICAMENTIS, ENTISQUE AFFECTIONIBUS GENERALIBUS.

I. GENERALES Entium Affectiones praecipuas attingemus, percurrendo Decem Categorias, quas primus inveniſſe dicitur Archytas, comprobavit certe Ariſtoteles; qualiſcunque demum ſit ea rerum diſtributio. Categoriae ſunt decem, Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paſſio, Ubi, Quando, Situs, et Habitus.

Subſtantia. Subſtantia eſt 'res per ſe ſubſiſtens;' quaeque alteri rei haud inhaeret, quo modo ſolent modi ſeu Accidentia; quae ipſis ſubſtantiis longe notiora ſunt. Incognita enim eſt ſubſtantiarum natura, niſi quod obſcuram quandam rei Qualitatibus ſubſtratae ideam, ex nobiſmet ipſis petamus *. Quae alia apud ſcholaſticos de ſubſtantiis dicuntur, ea parum utilia. Hae vocabulorum technicorum ſunt definitiones:

Subſiſtentia, eſt 'ſubſtantiae completio:' qua carent rerum naturalium partes a reliquis

* Vide Lockii tentamen ſupra laudatum de Ideis Subſtantiarum.

divulsae. Subsistens dicitur Suppositum, aut Hypostasis. Persona est 'Suppositum ratione praeditum.' CAP. V.

II. QUANTITAS nomen est ambiguum; neque varia quantitatum genera definiri possunt, quia simplicibus fere ideis repraesentantur. Haec genera simplicia. Magnitudo, quae corpori aut spatio propria, eaque triplex, Linearis, Superficiaria et Solida: quarum omnium et vera est natura, et distincta notitia; licet sine hac ultima nunquam seorsim sint duae priores. *Quantitatis genera.* *Magnitudo triplex.*

Quantitatis genus alterum est Tempus, cujus spatium aut Extensio priori prorsus dispar est, quae Diuturnitas aut duratio dicitur; mentisque actiones, passiones, motusque omnes quorum conscia est, comitatur. Omnis enim cogitatio aut sensus temporis cujusdam sensum secum trahit cujus quisque aeque conscius est, ac ipsius cogitationis. Unde inter varias intellectus aut voluntatis operationes, ordinem cernit et consecutionem; novitque quae priores, quae posteriores, quibusque diu aut paulum fuerit occupatus: Dicuntur res huic cogitationum seriei coexistere, quod eandem temporis partem occupent. Haec igitur coexistentia temporis notionem neutiquam absolvit, quum tertium aliquod plane agnoscendum sit, quod et cogita- *Tempus.*

PARS I. tionum conſecutionem, aliaſque res aut eventus pariter metiatur. Neque quidem ad motum neceſſario referenda eſt temporis Notio, quamvis ejuſdem menſurae commodiores a motibus petantur *. De his non pauca antea ſunt dicta.

Verae quantitates incertae. Hic obiter monemus, nullo certo indicio ſciri poſſe utrum verae Magnitudinum et Temporum quantitates, noſtras earundem ideas aequent, ſuperent, aut ab iiſdem ſuperentur. Facile tamen conſtabit eandem cum iis ſervari in ideis noſtris rationem †. Figurarum primas ideas excitant corpora; eaſdem tamen ipſa mens varie componere, magiſque perficere et abſolvere poteſt, quam ullibi in ipſis corporibus figurae reperiuntur. Has duas quantitatum claſſes ſine fine dividi poſſe docent Phyſici et Geometrae, eorumque ope, motus, inclinationes, rationes.

Numerus. Tertium quantitatis genus prioribus penitus diſpar in numeris reperitur. Quorum licet primae notiones a corporibus ſenſu perceptis plerumque excitentur, res tamen omnes, a corporibus prorſus diverſæ paritur numerari poſſunt: immo ſine corporum Ideis numerorum Ideae perfectiſſimae eſſe poſunt. Haud igitur nume-

* Vid. Lockium ubi ſupra, de temporis modis.

† Conſulatur idem vir Cl. de Spatii et temporis modis.

rorum Ideae, eorumve rationes ad magnitudinis necessario referendae: quum res numero plures, saepe magnitudine inferiores sint; et ratione numeri inter se comparari possint res omnis magnitudinis expertes: immo numerorum habitudines, quippe faciliores, ubi adhiberi possunt, commodissimae sunt aliarum rationum mensurae*. CAP. V.

Praeter ipsas res numeratas nullus est extra mentem numerus; neque ipsius ideae quicquam praeter res numeratas respondet. Utilissima tamen est numerandi vis, ad res ipsas earumque rationes metiendas. Haec tria quantitatum genera, detractis corporibus, nihil per se efficere possunt: neque spatium aut tempus ulli mutationi obnoxia sunt. Tempus quidem et spatium actu infinita plerisque videntur; numerusque plane sine fine augeri potest: nullus tamen intelligi potest numerus infinitus, quia ipsa numeratione multitudo definitur.

Aliae quantitates.

Sunt et aliae quantitatum in rebus dispariibus notiones. Quae motibus aut viribus motricibus tribuitur Quantitas, ad spatia et tempora referri potest. Aliis tamen potentiis et qualitatibus dispar prorsus quantitas adscribitur; ut mentis perspicaciae et ingenio, voluntatis mo-

* Hic obiter notatur doctrina viri longe optimi, acutissimi Barovii in Lectionibus Mathem.

PARS I. tibus et impulsionibus, amori, odio, virtuti, vitio, gaudio, moerori, ipsisque qualitatibus sensilibus; quae tamen raro quantitatibus annumerantur.

Qualitatum duo genera, Motus et Cogitatio.

III. QUALITATIS, quae etiam definitionem respuit, plura sunt genera sibi invicem disparia. Quae rebus vere insunt, hae praecipuae; 'Vires, sive Potentiae, Habitus actuosi, Ingenia, 'et propensiones.' Quae omnes animorum praecipue sunt Qualitates. Quod ad sensiles attinet, quae patibiles dicuntur; quae uno tantum sensu percipiuntur, sunt animi ipsius sensus, aut affectiones sive modificationes; quamvis iisdem res externae non raro indutae aut affectae videantur. Pluribus obviae sunt sensibus Figura, Motus, Quies, Situs. Hic ad nonam categoriam pertinet. Qualitatum verarum aut accidentium duo igitur sunt genera; Cogitationes, agendi vires, et Propensiones spiritibus propriae; et Motus, Quies, et Figura corporibus.

Quies et Figura.

An autem quies sit quid veri, praeter eam inertiam, qua vi quadam vera, at forte aliena, aut aliunde primo derivata, statum suum aut motum conservant corpora, de eo docti quidam dubitant. Figuram item, volunt quidam, nudam esse acervi denominationem, ex partium ad certas spatii partes habitudine petitam; neque mutata figura, aliter ipsas partes mutari.

Per ſe quidem figura nihil poteſt; licet in certa quadam molis corporeae cohaerentis diſpoſitione, nulla maneant impedimenta, quae gravitati aliiſque viribus impreſſis obſtare poſſint, quae in aliis molis cohaerentis figuris manerent. Unde cuneis impactis findentur ligna, quae materia aliter figurata findi nequirent; devolvet Sphaera aut Cylindrus, ubi cubus immotus maneret. CAP. V.

Diſceptatur item an ipſa Gravitas, Elaſticitas, Cohaeſio et ſimilia quaedam, ſint corporum ipſorum vires, aut cum natura corporea neceſſario connexae; an contra, ſint vires a natura praeſtantiore, certa lege, continenter impreſſae, aut ſaltem ab ipſa primo inſitae. Hoc poſterius eo veroſimilius, quod inter leges aut rationes innumeras quae pariter conſtitui poſſe videntur, unam quandam aut alteram caeteris neutiquam magis ſua natura neceſſariam obtineri conſpiciamus. Solae igitur qualitates, quas conſtat aliquid veri ſubſtantiis ſuis adjicere, ſunt cogitationes vireſque et motus: De caeteris inter Doctos non convenit. *Gravitas, Cohaeſio. &c.*

De qualitate omni vera, hoc certum eſt, unius rei qualitatem, alterius rei ſimul eſſe non poſſe; quamvis haec ſuam habeat qualitatem alteri ſimillimam. Quaeque moli corporeae conveniunt qualitates, eas ita per corporis partes dividi et diffundi, ut parti cuique ſua inſit *Qualitas ſubjecta apta.*

PARS I. qualitatis dividuae portio. Si quae igitur sint qualitates individuae, illae rei simplici et individuae inhaerent.

Relatio. IV. INTER Scholasticos, de Relationibus plurimae contentiones. quae de iis utiliora videntur breviter exponemus.

Ubi res duas aut plures, non prorsus dispares, simul animo contemplamur, apparetque affectio quaevis utrique aut omnibus communis, idea nascitur relativa, earum inter se rationem aut habitudinem exhibens. In omni relatione tria aut quasi tria occurrunt, Relatum sive Subjectum, Correlatum sive Terminus, et Fundamentum: illa sunt res comparatae; hoc, ea affectio in qua comparantur, aut actio comparationi causam praebens. Sic inter magnitudines ejusdem generis cernuntur relationes, ratione ipsius Magnitudinis; inter Tempora, ratione Diuturnitatis; inter numeros, ratione multitudinis. Respectu aliarum quarumlibet affectionum aut qualitatum, comparari possunt inter se et corpora, et spiritus. Relationum nomina innumerabilia, prout relata sunt similia, dissimilia, aequalia, majora, minora, dupla, tripla, et sic deinceps, velociora, tardiora, diuturniora, breviora, plura, pauciora, intensiora, remissiora, graviora, leviora, quibus addi possunt sexcenta similia. Relationes morales in relatorum actio-

nibus, officiis, pactionibus, injuriis, praecipue fundantur. CAP V.

Praeter ipsa relata et causam comparandi, sive fundamentum, quod nonnunquam ab ipsa relatorum natura aut essentia non est diversum, nihil reliqui est in rebus ipsis, quod ideae relativae respondeat: aliter, cuique fere rei annexae essent res aliae innumerabiles. Nulla enim est materiae pars, quae ad alias quasque non aliquam gerat habitudinem: nullus spiritus qui aliis quibusque, aut similis aut dissimilis, aequalis aut inaequalis, non reperietur. Quum igitur ipsis rebus adscribitur relatio, respicitur semper, confuse saltem et obscure, idea in mente aliqua relativa, quae vel est, vel esse potest. *Relatio non est res externa.*

Haud tamen ideo fictae aut vanae sunt ideae relativae. Ex notis enim Relatorum affectionibus, resultat non quaevis idea relativa, ast ea sola quae utriusque naturis aut affectionibus convenit. Atque ubi relatorum unum cognitum est, ejusque ad alterum habitudo, alterius etiam notitia parabitur. In omnibus enim disquisitionibus praecipue anquirimus, quaenam aliis rebus inserviant? quid proposito nostro exsequendo conferet? quae quibus, ad utilitatem nostram aptiora, aut habiliora? In rationibus igitur et relationibus quas vocant investigandis omnes fere occupantur scientiae, et disciplinae. *Haud vanae Relationum Ideae.*

PARS I. Numerorum rationes caeteris omnibus clariores ſunt et diſtinctiores. Neque amplius quicquam in relationibus exquirendis optare poteſt quiſquam, quam ut ad numerorum rationes reducantur. Unde mirari ſubit, viros quoſdam doctiſſimos ſtatuiſſe, omnem fere rationum notitiam a magnitudinum rationibus petitam fuiſſe, atque ad eaſdem referendas; nullamque inter numeros eſſe habitudinem, niſi quatenus magnitudinum ſive invicem aequalium certas multitudines exhibent. Quum contra, numero pauciores res, magnitudine ſaepe ampliores ſint: atque inter res omnis magnitudinis expertes locum habeant numerorum relationes. Temporis quidem motuſque menſuras a magnitudinibus potiſſimum petendas fatemur; harum tamen rationes per numeros ubi fieri poteſt facillime metiendae ſunt: utramque autem menſuram reſpuunt fere, non ſolum qualitates ſenſiles, quae ſecundariae dicuntur, verum omnes fere ſpirituum affectiones.

Numerorum clariſſimae.

Omnis Relatio eſt mutua et reciproca, idemque in rebus ipſis fundamentum quum convertitur relatio, quamvis aliam longe aut contrariam ſortiatur appellationem.

V. RELATIONEM excipit Actio et Paſſio, quas inter manifeſta eſt connexio; neque praeter ipſas res, quarum una agit, patitur altera,

Actio et Paſſio.

ſunt duae res diverſae. Supervenit enim unicum quiddam, actio ſcil. unde mutatur patientis ſtatus. Notionem Potentiae Actioniſque ſimplicem, quantum potuimus, antea explicavimus †. CAP. V.

Hoc ſolum monendum ſupereſt; quod et ante attigimus, de omni actione quae corporibus tribuitur; Corpora ipſa quae agere dicuntur, vere etiam pati; aut a vi alia tunc temporis agitari, aeque ac iſta in quae impingunt. Quumque natura corporea neque legem proprie dictam intelligere, neque eidem ſponte parere queat; quae Lege naturae fieri dicuntur, ea omnia, viris quibuſdam doctis veroſimile videtur *, rato quodam ordine, et conſtanti tenore, pro certis rebus oblatis, a cauſa omnium prima, omnia vi ſua continua ſuſtentante, omnia permeante, effici; cui nudam praebent occaſionem materiae qualitates, motus, occurſus et conflictus. Neque cum quibuſdam quae materiae tribuuntur actionibus ea inertia, quae materiae omni ſemper neceſſaria ſtatuitur, cohaerere poſſe videtur. De his tamen nemini mortalium quicquam ſatis cognitum et compertum eſt. *Leges Naturae.*

VI. De Ubi, Quando, et Situ, praecipua in *Reliquae Categoriae.*

† Vide ſupra C. IV. 5.

* Malebrancio, ſcil. Baxtero, et Newtonianis quibuſdam.

PARS I. capite tertio attigimus. De Habitu non aliud monendum quam quod in hac categoria non locentur vires vel corporis vel animi. Ea enim ſolum includit quae per ſe ſunt ſubſtantiae, aliis tamen rebus aptari aut circumjici ſolent.

ONTOLOGIAE FINIS.

METAPHYSICAE
PARS SECUNDA.
DE
MENTE HUMANA.

CAP. I.

De Animi Viribus, et primo de Intellectu.

I. DE Spiritibus Scientia, recentioribus dicitur Pneumatica; quae pars erat Metaphysicae apud antiquos, vel Physicae. Quia vero, solis rationis nostrae viribus, aliorum spirituum, praeter mentes humanas, et Deum Optimum Maximum, haud certam habeamus notitiam; de his praecipue erit in Philosophia agendum. Quumque, a rebus magis cognitis, ad obscuriora eruenda, ipsarum rerum non spectata dignitate, nobis sit progrediendum; a Mentis Humanae cognitione recte incipit Pneumatica. *Pneumatologiae definitio.*

Spiritus, Anima, Mens, notant eam naturam, qualiscunque sit, ' quae sentit, cogitat, ' aut cogitare possit; quaeque suarum actio- *Spiritus est substantia cogitans; aut quae cogitare potest.*

PARS II. 'num eſt conſcia.' Naturas iſtiuſmodi eſſe quamplurimas, earumque varios ordines variis inſtructos viribus; plurimos mentibus humanis multo inferiores, quibuſcum paulum admodum habent commune, plurimos forte etiam ſuperiores, veroſimile eſt. Quae omnia, quamvis communi nomine ſpiritus aut animae vocentur, ſunt a ſe invicem toto fere genere, ut dicunt, diverſa. Prius autem de Animorum viribus quaedam explicanda, quam de ipſorum natura quicquam ſtatuendum. Hoc autem ſatis apertum, animam humanam, a corpore craſſo, quod ſenſibus externis objicitur, eſſe diſtinctam; quum nemo dixerit cogitationem, prudentiam, artes, aut virtutes, in carne aut oſſibus, in tubulis, craſſiſve humoribus eſſe ſitas.

Duplex Animorum vis; Intelligendi, ſcil. et Volendi.

II. QUUM nondum ſit exploratum, an ulla menti inſit vis, quae efficiat ut creſcat aut vigeat Corpus, atque ex ingeſtis nutriatur alimentis; αὐξητικὴν et θρεπτικὴν animae vim, apud antiquos decantatam, non attingemus. Quae aliae ſunt Mentis potentiae, non incommode eas reduxeris ad duas, INTELLIGENDI ſcilicet, et VOLENDI, Facultates; prout vel rerum cognitionem, vel vitam beandam reſpiciunt.

Ad INTELLECTUM referuntur Senſus; illae, ſcilicet, Animae potentiae, aut, illa ejuſdem conſtitutio, unde ex certarum rerum im-

pulſu, certas continuo recipiat ideas, eaſque ſuo arbitratu haud mutabiles; ſed quas conſtituiſſe videtur natura quaedam ſuperior, animae parens et fabricator: qui ita animum conformavit, ut ſenſiles quaſdam ſpecies ad res referat externas, tanquam imagines, earum naturas aut qualitates depingentes. CAP I.

Senſationes, earumque Cauſae.

De Idearum cauſa et origine, in diverſas abierunt ſententias viri docti: quorum nullus quicquam affirmare poteſt, praeter hoc unicum, quod in mente, ſecundum certas leges, uſu et attentione cognitas, ex certo rerum occurſu, ſubnaſcantur Ideae; neque ad cauſam aliam a vi Divina, certo referri poſſunt. Cui etiam acceptum eſt referendum, quod Senſationes quaedam externae, aliaeque Ideae, ſint rebus externis ſimiles.

Senſatio alia directa, et antecedens; alia reflexa, et ſubſequens.

III. SENSATIO alia eſt PRIMA et DIRECTA; 'ubi ſpecies quaedam menti primo repraeſentatur:' alia REFLEXA et SUBSEQUENS; 'ubi nova quaedam ſpecies, Menti in res prius perceptas converſae occurit.' De directa primo agendum.

Senſatio externa.

Quae ex motu quodam in corpore excitato, aut eidem impreſſo, oriuntur in mente Senſationes, dicuntur EXTERNAE. Quae ad quinque claſſes vulgo reducuntur. Si autem pro percep-

PARS III.

tionum diverſitate inſtitueretur ſenſuum diviſio; plures quam quinque recenſerentur.

Qualitates ſenſiles; Secundariae, vel Primariae.

QUALITATUM SENSILIUM haud leve eſt diſcrimen, quod quaedam unico tantum ſenſu attingantur; aliae vero pluribus. Prioris generis ſunt 'colores, ſoni, ſapores, odores, calor 'et frigus.' poſterioris generis ſunt 'duratio, 'numerus, extenſio, figura, motus et quies;' quae pluribus percipi poſſunt ſenſibus: immo, horum quaedam interno etiam ſenſu percipiuntur. Prioris generis qualitates, proprie dicerentur SENSILES; Poſterioris, potius 'affec-'tiones ſpeciem ſenſilem comitantes.' Harum ideas, ut Relationum quas ad ſe invicem habent, duce natura, rerum externarum repraeſentationes aeſtimamus: unde et ideis intellectualibus annumerantur; quod in iis, rationis vires, ſummo cum fructu et voluptate exerceantur.

Sunt vel gratae, vel moleſtae vel mediae.

Idearum ſenſilium quaedam ſunt gratae, quaedam moleſtae, aliae mediae, ſive indifferentes: quarundam ſpecierum remiſſiores ſunt gratae, intenſiores moleſtae. Hae vero ſenſationes neque res externas, neque ipſos in corpore noſtro motus excitatos depingunt, aut repraeſentant: ſine tamen colorum ſenſu, aut qualitate aliqua tactili, nos prorſus laterent omnia corpora, eorumque ſitus, figurae, motus

et magnitudines. Sunt autem reliquae ſpecies ſenſiles proprie dictae, ſigna quaedam, aut notae earum rerum aut motuum, quae corpus noſtrum laedere poſſunt aut juvare: quae laedunt ut declinemus, moleſto ſenſu monemur; grato vero excitamur, ad ea exquirenda quae juvare poſſunt. CAP. I.

'Haud, equidem, ſine mente reor, ſine nu-
'mine Divûm.'

Ideae Senſationem omnem comitantes, Duratio et Numerus.

Idearum ſenſationes comitantium, quaedam omnem omnino mentis perceptionem comitantur, aut comitari poſſunt. Quales ſunt Temporis et numeri notiones; quaevis enim mentis perceptio, et actio, cujus ipſa mens eſt conſcia, temporis alicujus notionem ſecum trahit: Harum plures certa ſerie ſuccedentes, menti etiam longius quoddam temporis ſpatium ſuggerunt. Numerari itidem poſſunt non ſolum res ſenſu externo perceptae; verum et quae ſenſu interno, aut Reflectione, quam dicunt, percipiuntur.

Aliae, Viſu, et Tactu, ſenſiles.

Duobus ſenſibus, viſu nempe et tactu, percipitur Extenſio, Figura, Motus et Quies. Has corporum affectiones primarias non male vocant quidam ſcriptores: quia eas, natura duce, credamus rebus ipſis ineſſe quales cernuntur; doceantque Phyſici, ex earundem aliqua pendere corporum vim omnem ideas ſenſiles excitandi. At ſenſiles qualitates dicunt affectio-

PARS II. nes aut qualitates tantum ſecundarias; quibus nihil eſt in rebus externis ſimile; licet habeant hae res, ex ſtabili naturae lege, vim quandam eas in nobis ideas excitandi; quam a qualitatibus ſuis primariis ſortiuntur.

Haec prima qualitatum primariarum perceptio, ſive mentis actio quaedam, ſive paſſio, dicatur; non alia ſimilitudinis, aut convenientiae inter ejuſmodi ideas et res ipſas, cauſa aſſignari poſſe videtur, quam ipſe Deus, qui certa naturae lege hoc efficit, ut notiones, quae rebus, praeſentibus excitantur, ſint ipſis ſimiles; aut ſaltem earum habitudines, ſi non veras quantitates, depingant.

Primas idearum omnium formas aut primordia efficere videtur ipſe Deus, mente noſtra interea nihil agente. Ideas tamen admiſſas varie mutare poteſt mens, atque in eo vires ſuas ſtrenue exercere. Ideas vel retinere poteſt vel dimittere; iiſdem contemplandis ſe intendere, aut ad alia ſe convertere; Ideas concretas dividere poteſt abſtrahendo. aut ſimplices conjungere et componere: Ideas itidem certa ratione augere aut imminuere, inter ſe comparare, earumque habitudines cognoſcere poteſt. In his omnibus, non minus quam in voluntatis motibus et appetitionibus, ſe vere aliquid agere, mens ſibi conſcia eſt.

Ex gratis ſenſibus, quae Voluptates dicuntur, Boni prima notitia oritur; ex moleſtis, Mali. Quaeque illis parandis, aut his avertendis inſerviunt Utilia; quaeque iis contraria, Inutilia aut Noxia dicuntur. Ubi ſe exeruerint ſenſus ſublimiores, bonorum praeſtabiliorum, et malorum graviorum notiones invehunt. Ex his intelligitur quid ſit vita beata aut miſera; quae ad ſenſus quoſdam naturales neceſſario referenda. CAP. I.

Species guſtu, odoratu et tactu perceptae ad corporis partes aliquas proxime referuntur; indicantque ea quae corpori proxime profint aut obſint, idque jam afficiant. Viſu audituque rerum diſtantium aliquam notitiam acquirimus, et voluptates nonnunquam longe praeſtantiores: immo in ipſa rerum cognitione et ſapientia paranda, eorum non levis eſt uſus. Utiliter igitur omnes hi ſenſus a natura dati ſunt, vel ad corpora tuenda, vel ad genus humanum conſervandum, vel denique ad jucunde, ſapienter, honeſteque vivendum: quod de ſenſibus nobilioribus mox enarrandis magis eſt manifeſtum.

IV. ALTERA percipiendi vis eſt SENSUS quidam INTERNUS, aut CONSCIENTIA; 'cujus ope nota ſunt ea omnia, quae in mente 'geruntur.' Novit quiſque ſenſus ſuos, judicia, ratiocinationes, volitiones, deſideria et con- *Senſus interni, aut Conſcientia.*

PARS. II. filia; neque haec mentem cui inſunt latere poſſunt. Hac animi vi SE novit quiſque, SUIque ſenſum habet: atque in ſe actioneſque ſuas, animum convertere poteſt: unde et ſpirituum aeque plena poteſt eſſe notitia, ac corporum: intima latet utriuſque natura, notae ſunt affectiones.

Cogitandi Modorum ſunt Ideae abſtractae, ut et aliae plures.

Horum cogitandi modorum Ideas nos habere generales, a qualitatibus ſingulas cogitationes diſcriminantibus abſtractas, negari nequit. Ubicunque enim ſimilitudo inter res diverſas cernitur, aut plures ad unam referuntur claſſem, aut communi vocabulo aut ſymbolo quovis inſigniuntur, una complexae Ideae pars, caeteris, omiſſis, animo obſervatur.

Senſationes reflexae, aut ſubſequentes.

V. RESTAT ut deinceps de SENSATIONE SUBSEQUENTE et REFLEXA agamus, aut ‘ de ‘ iis rerum ſpeciebus, aut ſenſu, quae menti ‘ in res prius perceptas converſae occurrunt.’ quas ideo Senſationes appellamus, quod certa naturae lege, non noſtro arbitratu, oriantur hae Ideae aut perceptiones. Harum plura ſunt genera, breviter attingenda.

Quae ſenſu externo attinguntur, eique media viderentur, eorum quaedam ſenſui cuidam reflexo grata ſunt, quaedam ingrata; ubi mens non ſolum ad ſenſus ſuos externos, verum etiam ad ideas comitantes convertitur; et ſpecie qua-

dam, a gratis ſenſationibus externis diverſa, commovetur. Imprimis, menti grata eſt rei fere cujuſvis Novitas, pro naturali quodam ad res cognoſcendas impetu, aut ſcientiae cupiditate. Grata item eſt, rei cujuſvis perceptae Amplitudo; grata eſt plurium rerum Similitudo quaedam, ubi etiam cernitur Diverſitas et Varietas. Sonorum quorundam gratiſſimae ſunt compoſitiones et concentus, ubi non ſolum ipſi ſpectantur ſoni, graviores et acutiores; verum eorundem tempora; atque alia quaedam adjuncta, quae muſicis ſunt notiſſima. Grata eſt fere omnis Imitatio; ſive in operibus artium, quae, κατ' ἐξοχὴν dicebantur, pingendi; fingendi et coelandi; ſive in motu, et oratione rythmica. Laetiſſimus etiam Rerum cognitionem, et ſcientiam, ſenſus comitatur; nec ſine jucunditate obſervantur quaecunque in certos uſus ſolerter et artificioſe ſunt fabricata; etiam eis qui nullam ex his rebus utilitatem ſibi ſperant.

His grata eſt Novitas, Amplitudo, Similitudo, et Sonorum Concentus quidam.

Et omnis Imitatio;

Et rerum Cognitio;

Et, omnis artificioſa ſolertia.

Senſibus reflexis annumerandus etiam eſt ille, quî COMMUNIS dicitur: qui ex alterius rebus proſperis gaudium, ex adverſis triſtitiam colligit, ubi nulla ſimultas, odium, inimicitia, aut turpitudinis cauſa deteſtatio intervenerat. Mira etiam naturae noſtrae fabrica, plerique aliorum hominum affectus et paſſiones, conta-

Senſus communis; et, Affectuum contagio.

PARS II. gio quodam, similes etiam in nobis affectiones excitare solent.

Sensus Decori et Honesti.

—Sensuum reflexorum maxime insignis est ille DECORI et HONESTI; qui quasi de tribunali, judicium in omnia quae agunt homines exercet; in omnes animi aut corporis voluptates, in sententias, actiones, voluntates, vota, consilia, affectus: decernens quid pulchrum, quid deceat, quod honestum, quis in quoque sit modus. Huic sensui omnes fere quae cum belluis nobis communes sunt voluptates, viles videntur et erubescendae: quae vero agendi consilia ingenium produnt sublimius; quae animi rationisque vires sapiunt; quae benignam monstrant indolem; praecipue vero quae stabilem ostendunt et constantem voluntatem benefaciendi, et bene de aliis promerendi, omnium movent animos ipsa eorum specie et honestate; eique cui insunt, cum eorum revocat memoriam glorioſa sunt et laetissima.

Haec vis innata, gratuita, et proxima.

—Menti innatam esse hanc vim, neque propter suam utilitatem ullam aut voluptatem, suas aliorumve actiones comprobari, ex eo constat, quod quisque ideo honestiora censeat sua erga alios officia, quo majori cum periculo suo, aut damno fuerant conjuncta; quoque minus ad utilitatem, honorem, aut nominis sui celebri-

tatem, fuerant deſtinata: quodque aliorum ac- CAP. I.
tiones honeſtas, de quibus legimus aut audivimus, in ſeculis licet prioribus, pariter ac praeſentes laudemus: immo, virtutem, fidem, patriae ſuae caritatem, nobis damnoſam, vel in hoſte comprobemus. In his autem aliorum officiis, ubi erga alios aliquid amice, fideliter, fortiter geſſerant, comprobandis, nos neque honorem, voluptatem, utilitatem, aut praemia nobis obventura ſperare poſſumus. Quid? quod illi ipſi, qui vix praemia poſt mortem ſperabant, dulce tamen aliquando et decorum putabant pro patria mori; eorumque mortem cenſent et hoſtes laudandam*.

—Huic affinis eſt ille ſenſus LAUDIS et HONORIS; cum perſpicit quiſquam conſilia ſua et actiones, aliorum ſententiis comprobari; cui contrarius eſt moleſtiſſimus VITUPERII SENSUS: ſi cujus actiones et conſilia, aliorum ſuffragiis damnentur. Hiſce in utramque partem commoventur etiam illi, qui nullam aliam ex aliorum comprobatione ſperant utilitatem, neque ab aliorum cenſura, incommodum. Immo, de fama ſuperſtite ſolliciti ſunt homines jamjam morituri, quique nullum ejus ſenſum ſe

* Haec uberius confirmantur in Ethica.

PARS II. habituros putant, non minus quam qui vitam sperant diuturnam.

Sensus ridiculi. —— Quum autem sensuum horum ope, eorum quae nobis occurrunt quaedam venusta, decora, glorioſa, veneranda videantur ; alia vilia et despicienda ; sensum alium reflexum cernere licet, eorum quae RIDICULA sunt, aut risum movere idonea : quum scilicet, eadem res contrarios simul excitat sensus. Ubi de hominum agitur consiliis et actionibus, quia in ipso hominis nomine ineſt aliqua dignitas, ex prudentiae solertiaeque quadam opinione ; risum movent peccata turpia, quae cùm gravi dolore, aut interitu non sunt conjuncta : quae enim cum dolore graviore aut interitu conjunguntur, magis commiseration em excitare solent. Aliarum rerum illae risum movent, quae simul speciem quandam praeclaram exhibent, una cum specie oppoſita, vili scilicet, humili et despicienda. Neque exiguum praebet hic sensus usum, sive ad sermonis voluptatem augendam, sive ad mores hominum emendandos.

Memoria et imaginatio. —— VI. Ex hisce percipiendi viribus, acquirit sibi mens omnem, in qua versatur judicandi et ratiocinandi Facultas, Idearum supellectilem ; quae MEMORIAE ope conservatur. Ea enim menti ineſt vis, ut sensus cujusvis praeteriti de-

biliorem imaginem, aut notionem revocare poſſit; quod et de omni mentis actione, judicio, voluntate, et motu verum eſt. Haec facultas, ubi de corporum Ideis agitur, Imaginatio appellatur. Similis etiam in aliis omnibus Ideis verſatur vis, quae eaſdem revocare varieque mutare poteſt. Nulla tamen eſt imaginatio aut notio cujus primordia ſimpliciora, ſenſu aliquo externo vel interno, mens non prius hauſerat, hujuſmodi autem notiones ita condere et ſeponere valet mens, ut longo ſaepe poſt tempore eaſdem revocare poſſit *. CAP. I.

Quamvis autem a corpore aliquatenus in hoc animae ſtatu pendeat et memoria et imaginatio, ipſi tamen animo vis utraque ineſſe videtur; quia ideas olim receptas, eas etiam quae cum corpore aut ſenſu externo nihil commune habent, ſponte ſaepe revocat. Phantaſiam quidem, ſponte ſua, imagines etiam invocatae, mira quadam ratione tranſcurrunt; ſive quia cum prioribus quibuſdam mirum in modum connectantur, de quo mox dicendum; ſive ob aliam cauſam latentem. Quae enim de Spiritibus neſcio quibus Animalibus, per cerebri meatus intertextos et apertos facilius tranſeuntibus,

* De Idearum omnium origine, ut et de concluſionibus rationis legatur Lockii liber ſaepius laudatus, de Intellectu humano.

PARS II. tradunt Carteſiani, nimiam redolent fingendi licentiam.

De ſenſu externo et imaginatione ſedulo cavendum, ne iis nimis aſſueti, ea quae utrumque fugiunt parum vera aut ſolida judicemus: quum contra, quae veriſſima ſunt, maximumque afferunt ad vitam vel beatam vel miſeram momentum, his facultatibus neutiquam ſubjiciuntur.

Idearum conjunctiones naturales.

Neque ſilentio praetereunda eſt altera animi diſpoſitio, haud exigui in vita momenti, ad eas quae ſimul animum commoverant Ideas, ita in poſterum conjungendas, ut quicquid unam poſtea ſuggeſſerit, alias etiam conjunctas ſecum trahat. Huic diſpoſitioni, facilis ſermonis uſus, immo omnis fere rerum praeteritarum memoria, accepta ſunt referenda.

Bonum omne, ſenſu quodam, dignoſcitur a malo: utilia, ratione etiam cernuntur.

VII. SENSUUM ope et RATIOCINII, variae bonorum et malorum ſpecies menti ſuppeditantur. 'Quae, ſenſui cuivis per ſe ſunt grata,' BONA dicuntur; 'Quae moleſta,' ſunt MALA; quaeque in ſuo genere ultima, et propter ſe expetenda aut fugienda. Quae autem interveniunt Ratiocinationes, non praecipue in ipſis bonis aut malis ultimis verſantur: ſed in MEDIIS, ſive Subſidiis, quibus utimur in bonis ultimis conſectandis, aut malis depellendis. In finibus autem ultimis inter ſe comparandis, cum boni

cujuſvis ad vitam beatam momentum, pendeat ſimul ab ipſius grati ſenſus dignitate, ſive jucunditatis Intenſione, et Diuturnitate; locus erit facili cuidam ratiocinationi, aut potius recordationi; ut inter diverſarum perceptionum dignitates aut gradus comparatio inſtituatur. De Diuturnitate autem bonorum, rerum uſu et experientia, judicandi facultatem comparamus. ſimilia fere de malis dijudicandis, ſunt tenenda.

Voluptates, aliae ceſſantium ſunt paſſiones; aliae, actiones comitantur.

Senſuum gratorum et moleſtorum alii paſſionem, alii Actionem hominis comitantur; ipſe licet ſenſus, utrobique paſſio dici poſſit. Quamvis vero beatitudo omnis in aliquo ſenſu ſit ſita; recte tamen dicitur, Beatitudinem omnis naturae quae ad agendum eſt nata, in actione ſitam eſſe; quum longe praeſtantiores ſint illae voluptates, homine longe digniores, ſtabilioreſque, quae certas comitantur hominum actiones, quam quae ex ulla paſſione, aut corporum impulſione oriri poſſint. Delectationes enim aliae alias, in immenſum ſuperant, neque omnes Naturae quae vere beatae, pariter etiam ſunt beatae. Quae enim paucis ſenſibus, aut leviores admittentibus voluptates, ſunt praeditae, beatitudinem quantam capere poſſunt maximam, ex iis haurient rebus, quae naturam praeſtan-

Laetiores ſunt quae actiones comitantur.

PARS II. tiorem, nobiliori ſenſu a natura ſubornatam, neutiquam explebunt ad vitam beatam.

Habitus, Qualitas potentiam innatam perficiens.

VIII. ALIA denique eſt, et in animo, et in corpore, mira diſpoſitio; quod ex crebra actioni oriatur in poſterum agendi facilitas; quae Habitus dicitur: unde mirum in modum vires inſitae promoveri poſſunt: neque in ſola Memoria habituum omnis vis ſita eſſe videtur. Corporis ſenſu quovis ſaepius commoto aut diutius ſenſim imminuitur voluptas aut dolor: augetur tamen rerum jucundarum, ſi quando deſint, moleſtum deſiderium, ex eo quod crebrior fuerat antea earum uſus.

Ideae relativae; ubi, in pluribus rebus, eſt aliqua communis affectio.

IX. QUUM mens inter ſe comparat Ideas, ſenſu quovis interno vel externo acceptas, ſubnaſcitur Idea nova, quae dicitur RELATIVA; rationem, aut; habitudinem, inter res comparatas, repraeſentans, niſi ſint prorſus diſparatae. Si quidem in rebus comparatis, nihil ſit utrique commune; aut nulla ſimilis in utraque qualitas aut affectio; nulla intercedet ratio aut relatio*.

Judicia, alia Abſtracta; alia Abſoluta.

JUDICIUM, quod ſecunda Intellectus operatio dicitur, vix ab omni perceptione diſtingui poteſt. ABSOLUTUM enim JUDICIUM dici poteſt, Rei in certo tempore exiſtentis per-

* Vide Part. I. Cap. V. 4.

'ceptio complexa:' quae vel ſenſuum ope proxime excitatur, vel, interveniente ratiocinatione; cum rei, de qua eſt judicium, cernitur connexio cum iis quae ſenſus monſtrat exiſtere. JUDICIA autem ABSTRACTA ſunt 'Relationum, ſive cognationum quae inter res obſervatas intercedunt, perceptiones:' aut, ſi quis putet judicia potiùs eſſe mentis actiones diverſas, ex his vero perceptionibus ortas; judicandi actus ſimplici quadam Idea repraeſentatur, quae definiri nequit. Haec ad Logicam pertinent. CAP. I.

Quo modo penes nos ſunt noſtra judicia.

Neque multum in altera quaeſtione moramur: an ſcilicet, Judicium ſit potius mentis paſſio, quam actio. In ſtudiis cognitionis, in animadverſione acriore, in ideis inter ſe comparandis, mens agere videtur: ut etiam in appetitionibus, et agendi propoſitis. Hoc convenit fere inter omnes; nos non ideo judicare, rem hoc aut illo modo ſe habere, quia voluimus ita judicare. Non alia igitur ratione, noſtra ſunt penes nos judicia, aut voluntatis imperium ſequuntur, quam quod penes nos ſit, animi aciem in hanc aut illam partem convertere, atque utramvis ſedulo examinare. Cumque argumentis certis animum ſerio advertit vir ſanus, eaque intelligit; aſſenſum cohibere nequit, aut ſi argumenta tantum ſint probabilia quae intel-

PARS II. ligit; eam partem quam confirmant, esse probabilem aut vero similem, etiam invitus percipiet. Major igitur circa apprehensiones, quas varie mutare possumus, est libertas, quam circa judicia. Quum tamen restet haec praesumptio aut suspicio, contra rationes plerasque quae tantum probabiles sunt, quod aliae in contrariam partem existere possunt vero similiores: penes nos est, plenum mentis assensum, huic parti licet verosimiliori denegare, atque ab agendo abstinere; donec illae etiam, quae in contrariam partem invitant rationes examinentur. Verisimilitudinis autem gradus sunt innumeri; quidam ad plenam certitudinem proxime accedentes, qui fidem omnino firmam, et plenam facere videntur.

CAP. II.

De Voluntate.

I. UT primum menti objicitur Boni aut Mali ſpecies, exerit ſe altera animae Facultas, ab omni ſenſu diverſa, quae Voluntas dicitur, omnem jucundum in ſenſu quovis motum appetens, atque omnes actiones, eventus, aut res externas, quae iiſdem excitandis videntur inſervire; atque, omnia contraria fugiens et depellens. Innata enim cuique eſt vitae beatae appetitio conſtans, quae oblata occaſione, nunquam non ſe oſtendit, in iis quae ad vitam beatam facere videntur appetendis, et contrariis aſpernandis. Neque tamen innata eſt ſummi boni, aut bonorum omnium accumulationis notio, ad quam omnia conſilia referantur. Hoc jure dixeris ita mentem eſſe conformatam, dum placido motu fertur et provido, ut bonum quodvis per ſe appetat, et malum fugiat: quumque plura occurrunt, quae ſimul adipiſci nequeat, ad ea ſe convertat quae majora et praeſtantiora videntur. Idem etiam de malis depellendis dicendum. Unde ſaepe voluptates omittendae, quibus citra majorum et diuturniorum jacturam frui non datur; aut quas gravi- *Voluntas quod ſit.*

PARS II.

ores dolores insecuturi videntur: Dolores itidem nonnunquam perferendi; si aliter majores voluptates adipisci, aut dolores graviores avertere nequeamus.

Appetendi vis duplex.

Quemadmodum autem inter operationes Intellectus recensentur, non solum species quae corpore percipiuntur, nobis cum brutis animalibus communes; verum etiam perceptiones nobiliores, hominibus propriae; quae bonorum praestantiorum notitiam continent; sic APPETITUS homini est duplex: altero cum brutis animalibus communi, qui SENSITIVUS dicitur, caeco quodam impetu fertur in voluptatem; atque perturbato admodum animi motu impellitur, ad bona quaedam sensilia adipiscenda, et mala declinanda: altero, tranquillo, et rationem in consilium advocante, consectatur ea, quae pensitatis omnibus adjunctis, praestantiora judicantur, et nobiliori sensu percipiuntur: qui RATIONALIS dicitur; aut, κατ' ἐξοχήν, VOLUNTAS. Hic vero appetitus primo est explicandus; qui cum omni natura ratione praedita nobis est communis.

Appetitus Sensitivus.

Appetitus rationalis.

II. Ex boni aut mali specie objecta, cumque omnibus adjunctis pensitata, sponte sua existit haec appetitio, aut fuga; sine praevio voluntatis decreto aut imperio. Appetitionem et fugam proxime excipit plerumque deliberatio

quaedam, de omnibus rei expetitae conſequendae, aut rei quam averſamur depellendae, rationibus et ſubſidiis. Poſt explorata haec ſubſidia et rationes; ſequitur Propoſitum aut Conſilium ea agendi, quae ad finem conſequendum videntur aptiſſima. Primam appetitionem aut aſpernationem, appellant ſcholaſtici VELLEITATEM SIMPLICEM: agendi autem propoſitum, poſtquam omnia quae actionem antecedunt, comitantur, aut inſecutura videntur, pro Agentis ſolertia et diligentia ſunt penſitata; dicunt VOLITIONEM EFFICACEM. CAP. II.

Qua ratione res mixtae appetuntur.

Quemadmodum autem bonum quodvis, per ſe ſpectatum, natura expetimus; et malum quodvis fugimus; ſic ubi bona cum malis commiſta ſunt, inclinat voluntas ad ea quae plura videntur et praeſtantiora; unde et quaedam eſt deliberatio de finibus ipſis; aut rebus quae per ſe bonae aut malae videntur: quaeque FINES dicuntur OBJECTIVI: licet de FINE ultimo, quem vocant, FORMALI, ſive de ipſa felicitate, et miſeriae depulſione, nulla ſit deliberatio.

Atque licet bona vulgaria non eam plerumque habent vim, ut appetitionem efficacem neceſſario moveant, cum graviora mala cum iis conjuncta non raro proſpicere liceat: bonum tamen abſolutum, aut infinitum, quodque nullum malum praeponderans comitetur, ubicun-

PARS II. que clare conſpicitur, appetitionem neceſſario movebit, et volitionem efficacem excitabit. Solis igitur cordatis et ſapientibus unicus proponitur finis ultimus, ad quem omnia agendi conſilia referuntur. Caeteri magis ex tempore vivunt, res varias ſequentes quae boni ſpecie quavis commendantur, et contraria fugientes: niſi quid conjunctum videant, quod animum ad partem diverſam magis impellere valeat. Omnis, autem, 'ſive de ultimo fine, ſive de mediis, 'deliberatio; ad ſenſum quendam proximum 'grati et moleſti, tandem referenda eſt.'

In quo ſita ſit Libertas.

III. Quum vero mentis ſententia, deliberatione finita, non a voluntate pendeat; aſt neceſſario ſequatur ea veri indicia, quae menti proponuntur; neque velleitatem ſimplicem, ſive primam appetitionem aut fugam, excitet praevium quodvis voluntatis imperium; in his nulla eſt LIBERTAS; ſive ea notet 'potentiam 'agendi quae volumus, et omittendi quae 'nolumus:' ſive, 'mentis vim quandam indif-'ferentem, qua ſe huc aut illuc flectere, hoc 'vel illud pariter velle poſſit.' LIBERTAS igitur ſi ſit 'facultas, quae poſitis omnibus ad 'agendum requiſitis, agere poſſit vel non age-'re, hoc agere vel contrarium;' locum tantum habebit in ipſo agendi propoſito, aut volitione efficaci; prout eam praevio voluntatis de-

creto excitare poſſumus, aut cohibere; quae quidem potentia, ſi boni aut mali ſpecies objectas vel non reſpiciat, vel eaſdem non ſequatur, inutilis videretur et moroſa. Si cui igitur abſurdum videatur, mentem noſtram iſtiuſmodi vi, quae judicia noſtra neutiquam certo ſequatur, eſſe praeditam; illi ita definienda erit mentis Libertas, ut tantum ſonet, ‘potentiam agendi quae volumus, et abſtinendi, ubi nolumus:’ utcunque demum mens ad volendum aut nolendum impulſu fuerat*. CAP. II.

Stoicis placuiſſe videtur, ſua cujuſque indole, vel naturali, vel adventitia, una cum boni aut mali ſpecie objecta, voluntatem impelli flectique, neque aliter fieri poſſe. Credunt enim, ipſis animis leges quaſdam naturales eſſe poſitas, aut eam eſſe ipſorum naturam, ut iis quas diximus cauſis neceſſario flectantur. Plurimis enim rebus eam tribuunt vim, ut per ſe, ſine ulla ratiocinatione, animum impellant, certaſque excitent appetitiones aut aſpernationes. Non ſolum enim res cuique utiles aut jucundae, deſideria movent; verum ſanguinis conjunctiones, beneficia accepta, virtutum in aliorum moribus ſignificatio, aliaque ejuſdemmodi, per ſe caritatem et favorem excitant; ut itidem immerentium miſeria, miſericordiam; injuriae,

* Vide Part. I. Cap. IV. 6.

PARS II. iram, ultioniſque appetitionem: Naturalem autem cujuſque indolem, certa etiam lege, varie a vario rerum occurſu mutari; ex conſuetudine, habitibus, ipſiuſque corporis temperie. Data tamen indole, ſpecies objectae animum ita neceſſario flectunt, ut poſitis his omnibus adjunctis, aliter velle nequeat; quamvis aliter agere poſſet, ſi modo aliter vellet.

Hanc autem naturae noſtrae rationem cum actionum honeſtate aut vitioſitate, optime cohaerere contendunt; quippe quas in ipſis animi affectionibus praecipue ſitas eſſe volunt; quarum aliae, (ea animae noſtrae eſt confirmatio) per ſe, ſuaque natura, honeſtae et laudabiles, aliae turpes et deteſtandae cuique videntur, utcunque in nobis excitatae fuerant. Neque hinc legibus, minis, cohortationibus, vim ullam auferri, contendunt; quum eorum vis omnis ex eo oriatur quod boni aut mali ſpeciem aliquam novam objiciant. Atque quamvis iram omnem inutilem, et ſummo rerum rectore, viroque etiam ſapiente indignam oſtendat haec ratio; non tamen poenarum comminationes aut irrogationes, inutiles aut injuſtas efficiet; ſi modo abſque iiſdem nec mala graviora ſaepe averti; neque homines, aliaeque naturae ratione praeditae, parum in virtute ſtabiles, alia ratione aeque commoda, a vitiis coerceri poſſint.

Peripatetici, aliique viri docti et pii, quibus haec duriora, neque satis cum justitia divina cohaerentia videntur, aliam ineunt rationem: statuentes animos, quamvis aliquam boni speciem semper sequantur, inter duplicem tamen speciem, hinc, recti honestique, illinc, jucundi aut utilis, ad hanc vel illam partem se ultro flectere posse. Sed quaestionem hanc vexatissimam, quae doctorum et piorum ingenia semper torserat, atque de qua utrinque frustra ad sensum cujusque internum provocatur, jam relinquamus. CAP. II.

Quale sit hominis imperium in appetitum.

Qualiscunque vero sit hominum libertas, si modo idonea ipsis proponantur bonorum praestantiorum indicia; quicumque ea quae appetitum stimulare solent, sedulo examinaverit, atque animi nervos huic rei intenderit, illius omnes appetitiones et desideria, pro ipsorum bonorum ratione, acriora erunt, aut remissiora. Poterit igitur quisque, qui hoc serio egerit, appetitiones suas quae praestantiora consectantur bona, et graviora omnia mala depellunt, ita validas efficere, ut debiliores rerum viliorum cupiditates, et leviorum malorum fugam, facile possit, ubi opus fuerit reprimere; atque, omnia vivendi consilia ita instituere, ut bona omnia nobiliora consequatur, neglectis humilioribus

PARS II. quibuſcunque, quae cum iis conſiſtere nequeant.

Gaudia et Moerores. Praeter appetitionem et fugam, quae ab omni ſenſus perceptione ſunt diverſae, proximeque et per ſe ad agendum incitant, Voluntati adſcribunt vulgo GAUDIUM et MOERROREM: quae potius ſunt ſenſationes reflexae et ſecundariae; diverſae quidem ab iis, quas res praeſentes proxime excitant, quaſque vel antecedere poſſunt, vel ſequi. Oritur enim gaudium, ex rei expetitae adeptione ſperata, aut mali nunc prementis ſperata depulſione; moeror vero, ex mali futuri metu, aut expectata boni jactura.

Appetitus ſenſitivus, et Paſſiones. IV. Ab appetitione autem aut fuga tranquilla, quae circa bonum aut malum, noſtrum vel alienum, occupantur, atque ſpecies boni et mali, ab intellectu praemonſtratas ſequuntur, diverſi longe, ſunt motus animi perturbati, qui Voluntatis PASSIONES, et in Appetitu Senſitivo contineri dicuntur; ubi caeco quodam, aſt naturali impetu, ad quaedam agenda impellimur, aut cupienda; etiam ubi ratio nullas boni aut mali inde naſcituri ſpecies monſtraverat; neque ea, ad felicitatem noſtram, aut eorum qui nobis ſunt cari, neceſſaria eſſe aut utilia docuerat. Motus hoſce voluntatis comitatur confuſa quaedam et validi animi perturbatio, rationis

uſum impediens. Perturbationes hujuſmodi ſaepe animum agitant ubi nulla movetur appetitione pura, aut agendi conſilio tranquillo: ſaepe appetitiones purae ſine motibus hiſce perturbatis reperiuntur; ſaepe ſimul animum in contrarias partes diſtrahunt, 'aliudque cupido, 'mens aliud ſuadet:' nunc paſſiones haſce reprimunt tranquilla agendi conſilia: nunc ab iiſdem vincuntur: qui ſtatus eſt eorum qui nondum continentiam, aut imperium in animi partes humiliores conſecuti ſunt.

Motuum turbidorum, ad inſtar placidorum; quatuor ſunt genera: Cupiditates, Metus, Laetitiae, et Aegritudines: et plures cujuſque partes, quarum aliae aliis ſaepe adjungi implicarique ſolent: quae plenius explicare longum foret*.

Non omnes Bonum ſpectant ſenſile.

Non autem omnes hi motus perturbati corporis tantum voluptatem aut dolorem ſpectant. Similes omnino ſunt perturbationes, caecique animi impetus, apud incautos et incontinentes, erga bona et mala prorſus diverſa: ad appetitum vero ſenſitivum referuntur, ideo quod ſenſum moleſtum admodum aut turbidum ſecum ferant, ſanguinem, et totum ſaepe corpus agitantes. In hac claſſe recenſentur, non ſolum il-

* Haec omnia uberius expoſuit Cicero Tuſc. lib. 4.

PARS II. lae appetitiones quae paſtum, aut procreandi voluptatem conſectantur; verum et Ambitio, Iracundia, Commiſeratio, Invidia, στοργὴ, Gratia, et Odium, et ejuſmodi alia.

Cauſa vitiorum. Motibus his perturbatis praecipue imputandum, quod res varie haud quaquam pro ipſarum dignitate aut uſu, animum moveant et flectant. Quemadmodum enim 'ignoti nulla Cupido,' ſic ea quae parum perſpicimus, quaeque raro animo revolvimus, debilem habent ictum: quaeque diſtantia ſunt, ut oculo, ita animo, exigua et levia videntur, niſi crebra altaque meditatione propius admoveantur. Quaedam etiam Perturbationes totum animum ita replent, ut nihil ratione aut conſilio aſſequi valeamus. Unde fit ut res terrenae, breves, viles caducaeque, toties homines a praeclaris, coeleſtibus, et aeternis conſectandis demoveant. Quicunque enim internum animi ſui ſenſum et intelligentiam excuſſerit, inveniet ſpeciem, formam et notionem viri ſapientis et boni, cui nullus mortalium ſe ſatis congruere et reſpondere reperiet: immo debilitatem multiplicem, depravationes, errores, et vitia, ſibi adhaerentia cernet; a quibus vel ſumma cautione, ſtudio, et meditatione vix, ac ne vix quidem, ſe liberare poterit.

V. NEQUE negligendum eſt inſigne illud

Animi motus, vel, ſuam ſpectant utilitatem, vel, alienam.

diſcrimen inter motus voluntatis noſtrae, ſive tranquillos, ſive perturbatos, quod in quibuſdam noſtram tantum ultimo ſequamur voluptatem, aut utilitatem, aut nobis mala depellamus: in aliis vero aliorum felicitatem efficiundam aut conſervandam; aut miſeriam ab iiſdem depellendam, ſpectemus. Ubi enim nulla commovemur invidia, aut ira; aut nulla inter alienam felicitatem et noſtram, cernitur repugnantia; naturam quamvis ſentientem beatam fieri vellemus: laeta illi omnia et felicia precaremur; atque ab eo dolores omnes et moleſtias amovere ſtuderemus.

Sive perturbati ſive tranquilli.

Tranquillo philautias affectui reſpondet haec latiſſime patens benevolentia, quae ſine diſcrimine, omnium felicitatem ſpectat et appetit. Tranquillis etiam voluntatibus, patriae, amicorum, cognatorum, et virorum quorumvis bonorum proſperitatem appetimus: quemadmodum et nobis ipſis tranquillo voluntatis motu, varia quae ratio monſtrat bona conſectamur.

Ab utriſque vero diverſos habemus voluntatis motus perturbatos, ſive PASSIONES; quarum quaedam noſtram ſequuntur voluptatem aliquam aut utilitatem, quaedam alienam. Beneficia accepta, natura excipit grati animi ſenſus, motuſque vehementior benevolentiae erga bene merentes aut meritos: officia quae

PARS II. cernimus ergo quoſvis, honeſta et praeclara, et virtutes quaevis inſignes, animos noſtros commovent et plane incendunt, affectu ſaepe perturbato, ſtudioque ardentiore, viros hiſce virtutibus ornatos ad altiores dignitates provehendi. Eximia eſt in ſobolem στοργὴ, moleſto ſenſu comitata: caeco quodam naturae impetu, ad procreandum feruntur omnia animalia: Ira itidem brevis ille furor, atque indignatio, naturo excipit injurias, ſive nobis, ſive aliis immerentibus illatas.

Eſt quaedam Bonitas vere gratuita.

Hos autem animi noſtri motus benignos, ſive tranquillos, ſive perturbatos, neque antecedente voluntatis imperio excitari; neque noſtram aliquam utilitatem aut voluptatem ultimo ſpectare, inveniet quiſquis in animum ſuum deſcenderit, et agendi conſilia ſua, et affectus exploraverit: praecipue, qui clarorum virorum propoſita et facta perſpexerit, morientium ſanctiſſima officia, et mortes pro amicis, pro patria voluntarias. Immo, quae apud leviores homines jam jam morituros conſpiciuntur, commendationes liberorum et amicorum, memoria et caritas amicitiae, ſummorumque officiorum in extremo ſpiritu conſervatio, indicant innatam eſſe hominibus probitatem et bonitatem gratuitam, non invitatam voluptatibus, nec praemiorum mercedibus evocatam.

CAP. II.

Inſtinctus naturales.

Sunt etiam mentis propenſiones quaedam naturales, aut inſtinctus, ad quaedam agenda, ſequenda, fugienda, nulla praeeunte ratiocinatione, nullo de eorum momento ad noſtram aut aliorum utilitatem judicio. In brutis animalibus haec magis manifeſta; iiſdem vero ſimillima hominum mentibus, benigno Dei conſilio, et in ſuam cujuſque et omnium communem utilitatem inſeruntur, ut indicent quaenam naturae apta, quaenam per ſe expetenda; utque ſua quiſque natura ad vivendum duce utatur. Ne enim iterum loquamur de proborum comprobatione et laudatione, aut beneficiorum crebra commemoratione, et afflictorum commiſeratione moleſta; quodque ad miſerabilia viſenda proni ſimus, etiam ubi nullis officiis praeſtandis eſt locus. Quam ſuam aut aliorum utilitatem reſpiciunt, ſuper defunctos lamentationes, mortuis tributi honores moeſtiſſimi, morientium ardentia ſobolis ſuperſtitis poſt obitum ſuum naſciturae deſideria, orbitatis fuga, deformitatis in corpore, aut depravationis, eodem manente uſu, ſumma averſatio? Quorſum, quod pueri, res ſibi inutiles videndi audiendique cupiditate ducantur, quodque nunquam conquieſcere poſſint? Quid ſpectant calamitatum, quibus nullum afferri poteſt levamen, diuturnae deplorationes; eorumque, qui nihil rerum hu-

PARS II. manarum ad mortuos pertinere arbitrantur, de fama ſuperſtite ſibi ſuiſque paranda ſolicitudines?

Moleſti ſenſus vel antecedunt motus voluntatis; vel ſubſequuntur.

VI. QUASDAM animi paſſiones natura praecedit ſenſus moleſtus, alias autem comitatur, aut inſequitur. Praecedit eas, quas proprius appetitui ſenſitivo adſcribunt ſcholaſtici; quae corporis nutrimentum reſpiciunt, et generis conſervationem. Caeteras paſſiones aut appetitiones, moleſti quidam comitantur aut ſequuntur ſenſus, cum deſunt ea quibus expleri poſſint. Horum ſenſuum plura ſunt genera, a ſe invicem non parum diverſa.

Imperium animi in metus perturbatos.

Quum vero praecipuam ſuam vim ſortiantur humiliores omnes cupiditates, ex incauta quadam Idearum complicatione; unde in certis rebus, ſine cauſa naturali, miras virtutes, aut ingens aliquod ad vitam beatam momentum ineſſe, nobis fingimus; ex eo quod apud incautos quibuſcum verſamur, ambitioſos, luxurioſos, et flagitioſos, (qui pravis habitibus atque longo uſu, naturalem rerum ſenſum depravaverint, aut fere exuerint,) haec maximi aeſtimentur: ut juſtum conſequamur in haſce cupiditates imperium, et veram animi libertatem, plurimum profuerit, temere complicatas haſce notiones evolvere et divellere; reſque omnes, quae appetitum ſtimulare ſolent, furtivis his coloribus

nudatas, ſedulo perſpicere; ut quid veri boni, quid mali in quaque reperiatur, cognitum habeamus et exploratum; ne ultra veri boni aut mali menſuram, aſſurgat earum appetitio aut fuga. CAP. II.

VII. QUANDOQUIDEM vero non ea erat apud homines rationis vis aut ſolertia, quae perſpicere poſſit corporum ſuorum fabricam; et cernere ea quae laederent, aut juvarent, aut quaenam ipſis idonea eſſent nutrimenta: ſenſu idcirco moleſto, indigentiae aut inediae fuimus monendi; reſque utiles a noxiis, ſenſu, non ratione, ſecernendae; et ſaepe caeco naturae impetu, ad ea quae nobis aut generi humano eſſent ſalutaria, fuimus ſtimulandi. Hiſce autem ſolis, ne belluarum more inhiaremus ſtimulis iſtiuſmodi validis, inſtigati; aliis etiam appetitionibus plurimis, earum rerum quas ratio monſtraret utiles, ſimiles moleſtorum ſenſuum ſtimuli adjunguntur; quibus animus contra humiliorum voluptatum illecebras magis confirmaretur. *Paſſiones non inutiles.*

CAP. III.

AN SPIRITUS SIT RES A CORPORE DIVERSA.

I. CELEBRIS est Quaestio, 'An res cogi-
'tans sit ab omni corpore diversa:' an contra, possit ipsa materia, res nempe extensa, solida, mobilis, ex partibus diversis conflata, intelligere, velle, eaque omnia in se continere, quae nos spirituum affectiones communiter appellamus.

An sit substantia ab omni corpore diversa.

In posteriorem hanc sententiam inverunt non pauci ex veteribus, philosophi haud mali; putantes, subtilia quaedam corpora, Aëra, scilicet, Ignem aut Aethera, esse eam ipsam Rem quae cogitat; licet crassiora omnia corpora, nullam rationis vim aut sensum habere possint.

Cartesianorum argutias de ipsa animae natura, quam in actuali cogitatione, eaque generali, sitam volunt, prudentes praeterimus; quia substantiarum omnium naturae intimae nos lateant; cogitatioque omnis, animae actio, passio, aut affectio plane videatur. Neque alia cogitatio generalis intelligi potest, praeter generalem cogitandi ideam: neque quicquam affirmamus,

utrum anima ſemper cogitet, annon ſemper. CAP. III.

Imperfecta noſtra rerum notitia.

In ardua hac quaeſtione profuerit meminiſſe, obtuſam eſſe mentis noſtrae aciem; quae intimas rerum naturas cernere non poſſit; atque ideo de iis, ex affectionibus ſenſu aut uſu cognitis, veroſimiles tantum deducimus conjecturas: quodque ad graviſſima quaedam in Philoſophia dogmata amplectenda, non argumentis aut ratiocinationibus, ex rerum perſpecta natura petitis, ſed potius ſenſu quodam interno, uſu, atque naturae impulſu quodam aut inſtinctu ducamur. Qui horum memor, ad propoſitam quaeſtionem dijudicandam acceſſerit; idoneas reperiet cauſas, cur credat, Naturam COGITANTEM ' eſſe ab omni corpore diverſam.'

Magna triuſque rei affectionum diſparitas.

II. PRIMO, enim, perſpiciet cogitationes qualeſcunque iis affectionibus omnino eſſe diſpares, quas rebus corporeis ineſſe convenit inter omnes; ita ut neque ex iis, neque ex ulla earundem compoſitione oriri poſſint. Ex plurium corpuſculorum motu aut conflictu, non quicquam praeter motum in diverſas plagas, aut corporum detrimenta et diviſiones, oriri poſſe videtur: ex corpuſculorum figuris quibuſcumque, nihil praeter figuram aliquam, in ipſis, aut in aggregata quadam ex ipſis mole, vere poteſt

PARS II. ſubnaſci ; nihil quod cum ſenſu, intellectu, voluntate, quicquam habeat commune.

Affectiones quaedam contrariae oſtendunt ipſas res eſſe diverſas.

III. QUID ? quod omne corpus, ſi ullis hominum rationibus fidendum eſt, ſit rerum vere diverſarum, quae in diverſis ſunt locis, utcunque forte vicinis, aggregatio, quae vi quadam idonea, facile poſſit diſſipari. Neque ea unica quae in una corporis parte ineſt affectio, poſſit etiam ineſſe alteri parti ; quamvis ea ſimilem habeat affectionem. Unius partis figura, aut motus, alterius partis non eſt figura, aut motus ; licet haec altera habeat affectiones illis omnino ſimiles. Quaſcunque vero habet mens affectiones quarum eſt conſcia, (quas habet innumeras, ſenſus ſcilicet, ideas, judicia, ratiocinia, volitiones, appetitiones, conſilia,) has omnes etiam repetentia quadam percipit eſſe unius ejuſdemque rei affectiones ; quam SE appellat ; eaſque, neque extenſas neque diviſibiles : neque dubitare poteſt an non una ſit eademque res, quae diverſis temporibus, plurima ſentiat, percipiat, judicet, deſideret, meminit : quod concretioni corporeae contingere nequit ; cujus partium quaeque ſuas ſibi habet figuras, ſitus et motus, a reliquarum partium qualitatibus vere diverſos.

IV. IPSA, porro, mens, duce natura, SUB

videtur, habere conſcientiam, ab extenſo omni, immo ab ipſo corpore quod ſuum appellat, diſtinctr. Hoc enim corpus, ejuſque partes, utcunque SECUM ſint connexa, SIBI tamen eſſe ſubjecta, SUO regenda imperio, SIBI utilia aut moleſta, ſentire videtur: SEQUE igitur, ab iſto corpore percipit eſſe diverſum *. CAP. III. *Idem et cujuſque Senſus internus monſtrabit.*

Quod argumentum, Platonicum, aut Socraticum, quo melius intelligatur; triplex non omittendum eſt perceptionum, ſive Idearum, diſcrimen: quod quaedam, ipſa natura magiſtra, ad res referantur plane externas, ad nos non alia ratione pertinentes, quam quod percipiantur, quarum mutationes nos non afficiunt. Alterum autem eſt perceptionum genus, earum ſcilicet, quae nos propius attingunt, voluptatis aut doloris ſenſu perfundentes; quae tamen, ipſius naturae monitu, ad partes coagmentationis iſtius corporeae quod noſtrum appellamus corpus, ſemper referuntur: quia cum iſtis locis, quae corporis partes occupant, connexae, ex earum motu quodam, aut affectione, ſive mutatione, proxime oriri videntur. Haec autem duo Idearum genera, cum corporeis affectionibus, motu nempe, extenſione et ſpatio, quadam ratione immiſcentur; neque ad veram hominis dignitatem et praeſtantiam, aut turpitudinem et *Triplex affectionum perceptarum diſcrimen.*

* Vide Platon. in Alcibiade, I. et alibi paſſim.

PARS II. humilitatem, quarum causa, quisquam se aut alium magni faceret, aut parvi, quidquam conferunt.

Tertium est denique genus perceptionum, ab omni corporea affectione alienarum; quae ipsas hominis aut mentis humanae affectiones repraesentant: nullas spatii, extensionis, aut motus, Ideas includentes; veras autem depingentes SUI cujusque affectiones, ex quibus conficitur omnis sua dignitas, honestas et praestantia, aut contra, turpitudo, pravitas, humilitas. Istiusmodi sunt notiones intelligendi, cognitionis, scientiae, ratiocinationis, amoris, benevolentiae, fidei, virtutis; aut eorum quae sunt his contraria: quae cum corporea affectione qualicunque nihil habent commune.

Res cogitans est unum quoddam, et simplex: corpus est plurium rerum aggregatum.

V. QUUMQUE insuper, omne corpus sit ex partibus vere diversis conflatum; quumque omnis corporea affectio sit etiam divisibilis; ita ut singulis corporis partibus, pars etiam affectionis inhaereat; illae vero quae mentis ipsius affectiones, duce natura, putantur, sint indivisae et simplices; quae per varias corporis partes dispertiri nequeant, neque per spatii partes a corpore occupatas diffundi; merito hinc colligimus REM COGITANTEM 'esse naturam simplicem, ab omni materia diversam.'

Res cogitans est actuosa; corpus, iners.

VI. EST etiam sibi conscia mens humana,

ſe vera vi agendi eſſe praeditam. Non enim judicat ſolum et appetit ; quae ſunt verae actiones : verum et arbitratu ſuo attentionem huc aut illuc convertit ; ab his ſe avocat ; ad illa intendit ; Ideas acceptas revolvit, aut negligit ; auget, aut imminuit ; reſolvit concretas ; aut componit ſimplices ; ne de corpore movendo etiam dicamus. Corpus vero omne, ſiquid ſapiant Phyſici, eſt iners ; ſtatum ſuum aut motum retinens ſemper, niſi vis accedat externa.

Huc accedat, earum virium divinarum quas animis ineſſe cernimus conſideratio ; ineſt Memoria, et ea fere infinita rerum innumerabilium ; ineſt inventio et excogitatio, quae inveſtigat occulta ; quae omnibus rebus impoſuit nomina ; quae ſonos vocis pene infinitos, paucis literarum notis terminavit ; quae diſſipatos homines congregavit, et ad Societatem vitae convocavit ; quae errantium ſtellarum curſus varios notavit ; quae frugis, quae veſtitum, quae tecta, quae urbes, vitaeque cultum et praeſidia invenerat ; atque a neceſſariis artificiis ad elegantiora defluxit, unde tot oblectationes ortae, ex poeſi, eloquentia, et pingendi, fingendi, coelandique ſolertia. Quid memorem Philoſophiam, donum divinum, quae nos ad Dei cultum, ad jus hominum quod in communitate et ſocietate ſitum eſt, ad modeſ-

PARS II. tiam magnitudinemque animi, omnemque virtutem erudivit: divinae certe sunt hae vires, neque cordis, cerebri, sanguinis, bilis, ossium, aut nervorum; neque crassis hisce elementis ex quibus corpora constant inesse possunt *.

Nulla est spiritus generatio, aut corruptio.

VII. HAEC eadem monstrabunt spiritum neque generari, more corporum, neque interire. Corpora enim generantur, cum partium quae prius extiterant, debita sit conformatio, conjunctio et motus: moriuntur vero, cum tollitur haec conjunctio et conformatio motusque. Ex hac animae simplicitate eruitur illa, quae dicitur, PHYSICA ipsius IMMORTALITAS: quum corporis dissolutionem neutiquam necessario sequatur Rei plane diversae interitus. An autem manebunt Mentes humanae, et vivent, post corporis interitum, altioris est indaginis: de quo postea quaedam erunt dicenda.

De loco Spirituum.

Animorum simplicitas dubitandi ansam praebet, an ullum occupent locum; aut ullam habeant ad spatium cognationem. De naturis incognitis non aliter quam ex affectionibus conjectare licet: Animorum vero affectiones omnem extensionem et figuram respuunt: ipsius igitur nulla est extensio aut figura, neque ex rebus dissimilibus mixtus est aut temperatus.

* Vide Ciceron. Tusc. I. 24—30.

In hoc quidem rerum ſtatu, non aliter quam corporis interventu, in res externas agere poſſunt animi noſtri ; earumque ſenſus per corporum motus excitantur : immo perceptiones quaedam, ratione mira et inexplicabili, ad corporis partes referuntur, quaedam etiam ad res aut loca a corpore diſtantia. Quae vero ideae animi ipſius affectiones repraeſentant, ad nullum locum referuntur. Haud conſtat igitur an locus aliter animo adſcribendus, quam per nudam Denominationem externam, a corpore ſuo petitam. In hac quidem quaeſtione, aliiſque quae de animi natura moventur, ab oculorum, aliorumque ſenſuum conſuetudine, et temere praejudicatis opinionibus, mentis acies avocanda eſt ; ne ea ſola nobis fingamus eſſe vera, quae ſenſibus iſtis cernuntur. CAP. III.

Ex his omnibus conficitur Mentem humanam eſſe "ſubſtantiam cogitantem ratione praeditam a corpore omni diſtinctam, cognitionem appetentem, et beatitatem etiam variam : quam praecipuam in ipſa cognitione, benevoliſque voluntatis affectionibus, atque actionibus iiſdem conſentaneis reperire poteſt ; quaeque etiam cum corpore animato arcte conjungi, atque ab ejuſdem mutationibus affici ſolet."

CAP. IV.

DE ANIMI CUM CORPORE CONJUNCTIONE; ET STATU SEPARATO.

Animi imperium in corpus.

RESTAT animae ea vis satis nota, qua corporis sui membra movere valet. An vero ea mentis, aut voluntatis sit efficacia, ut proxime et per se, nulla naturae superioris interveniente vi, corporis partes movere possit, vix satis est exploratum. Actionem aliquam animi, sive energiam sentimus, in primis praecipue tentaminibus; ubi corporis membra artificiose et varie saepius movere volumus. An vero haec animae actio per se motus hosce excitet, dubitandi ansam praebent ea quae docent Anatomici. Notum enim est, motum membri exterioris, a nervorum et musculorum motu quodam, cujus minime conscii sumus, quemque nunquam appetimus, aut excitare volumus, proxime pendere: Quemadmodum vicissim sensus in mente excitati, nervorum motum quendam, ad cerebrum pertinentem, proxime insequuntur: quem tamen motum haud percipit mens; cui semper fere species percepta, in corporis parte quadam a cerebro remota, aut etiam extra corpus esse videtur. Haec igitur omnia

vi cuidam divinae adſcribunt viri docti quidam et pii. CAP. IV.

Uſu etiam notiſſimum, actiones omnes affectioneſque animi vehementiores, etiam quae circa res minime ſenſiles verſantur, ſanguinis humorumque ſubtiliorum motus haud inſenſiles comitari; quorum tamen in cogitationibus placidis nullus eſt ſenſus. Quum tamen cogitationes, motuſque animi omnes, voluntatis imperio excitentur, retineantur, deponantur et varientur; patet eos a materiae inertis, ſtatum motumve mutare neſciae, vi neutiquam totos pendere.

II. De conjunctione animi et corporis, non aliud quicquam novimus, praeter eas vires, aut virium umbras continuas, quibus ſe mutuo afficere videntur; ita ut mentis decretum ſequantur confeſtim motus quidam in corpore; et viciſſim, motus in corpore excitatos ſequantur in mente ſenſus; quae varios deinceps excitant appetitus et cupiditates, motibus internis et externis comitatas. Non paucae tamen ſunt corporis partes, quas mens ſua voluntate proxime movere nequit; quarumque motus neque ſiſtere poteſt, neque mutare: neque illi in corpore motus continui, ex quibus pendet praecipue vita, ſenſum in mente excitant: qui quidem haud utilis foret, verum potius moleſtus. *Animi cum corpore conjunctio.*

PARS II. Unde verosimile quibusdam videtur, haud suis ipsorum viribus, aut connexione necessaria, sed causae superioris interventu, animam corpus movere, corpusque animam afficere; quum ita ad certas tantum corporis partes pertineat vis animae; certisque tantum partibus tributa sit vis animam afficiendi: quorum neutrum nostro consilio constitutum fuit. Neque harum naturarum magna disparitas cum istiusmodi vi mutua naturali et necessaria cohaerere posse videtur. Prout igitur credunt, ipsum Deum animas corporibus nascituris, ut primum rite conformata sunt, conjungere; ita eundem semper et ubique praesentem, et actuosum, certa lege, efficere ut se invicem ita afficere valeant.

Animi post mortem duratio, a Dei voluntate pendet:

III. De vita Animae a corpore sejunctae, haec tantum sunt explorata: nos nullum existentiae nostrae, aut eventuum quorumcumque antequam nati fuimus, habere conscientiam aut memoriam, inde tamen haud certo conficitur Animas neutiquam antea vixisse. Immo viris quibusdam doctissimis placuit, animas nostras longe feliciores olim vixisse, atque ob culpas suas in eo statu admissus, in terrena haec corpora et caduca detrusas, delictorumque poenas luere. Tanta enim videtur hominum imbecillitas, tanta depravatio, tantisque aerumnis obnoxii degunt, ut haud credibile videatur, eos a

Deo opt. max. adeo imperfectos, et ad vitia omnia proclives creatos fuiſſe. Sua igitur culpa has labes contraxiſſe videntur. Quicquid vero hac de re ſtatuatur, ſpem habuerint omnes gentes probabilem, animam poſt corporis diſſolutionem duraturam: non ſolum ex eo, quod nullam ſubſtantiam intereuntem videamus; neque ullam interire validis oſtendere poſſimus argumentis: neque ex corporis interitu, diverſam plane rem etiam interituram colligere liceat: verum etiam, quod apud omnes gentes, in omnibus ſeculis, invaluerit haec immortalitatis ſpes et deſiderium: idque univerſi mundi adminiſtratio, ſub Deo juſto et benigno exigere videatur; ne viri vere boni, quos malis plurimis externis ſaepe videmus oppreſſos, quique ideo quod boni ſint, gravibus objiciuntur aerumnis, idoneo excidant virtutum praemio: aut contra improbi, queis omnia ex eorum voto eveniunt proſpera, impuniti evadant: quorum neutrum pateretur ſanctiſſimi rectoris providentia benigniſſima; quae legum optimarum majeſtatem, in totius civitatis ſuae felicitatem, ſacroſanctam, poeniſque idoneis munitam conſervabit.

CAP. IV.

Eam exigit Sanctitas et Juſtitia Dei.

Quumque omnia in hoc mundo corporeo, tanta arte et ſolertia, a ſummo omnium rerum conditore, ſint conſtituta; plurima etiam in mentis humanae fabrica, artificis ſummi oſten-

Non, aliter, viro bono probanda.

PARS II. dant benignitatem et ſapientiam; non pauca ſimul, in magnae hujus civitatis, quae totum continet humanum genus, adminiſtratione, imperfecta et corrigenda maneant; quae ſi hanc ſolum vitam ſpectemus, tanto rectore, tamque benigno et potente forent indigna prorſus, et ab omnibus damnanda: quae tamen omnia, ſi modo corporibus ſuperſint animae, facile corrigi poſſint, ita ut tota mundi fabrica atque adminiſtratio, Deo optimo maximo fiat digniſſima: Quis dubitabit animas fore ſuperſtites; atque totum univerſi mundi adminiſtrationem eſſe perfectiſſimam? Neque levia cernimus, et in hoc rerum ſtatu, iſtiuſmodi conſilii indicia. Saepe enim quae pro tempore quodam, ſi ſola ſpectentur, culpanda forent, tanquam triſtia, crudelia, et injuſta, quorum omne crimen in Deum ipſum foret conferendum; ea ipſa, ſi cum iis penſitentur, quae neceſſario, etiam in hac vita, conſequuntur; ſolertiſſimo ſimul, et benigniſſimo conſilio inſtituta inveniuntur.

Immortalitas optimo cuique maxime exoptata; et ſperata.

Quid? quod et quo propius ad naturae ſuae perfectionem accedit mens hominis, in aeterni temporis immenſa proſpiciens ſpatia, Deum mundi creatorem et rectorem agnoſcens, et terrena omnia et caduca deſpiciens; propenſa ſimul voluntate communi omnium conſulens felicitati; et totum ſumma caritate et benevo-

lentia complectens humanum genus; si quidem, omnia morte sunt delenda, eo magis ipsi displicebit tota mundi administratio, et omne summi rectoris consilium et providentiae ratio. Quum mortalium nulli, non ipsis viris optimis, quibus saepe haec vita est aerumnosa, et inter moerores et lacrymas exigenda; (ne dicam, de innocentibus plurimis, praematura et luctuosa morte deletis) sinceris liceat frui bonis et diuturnis; aut alia sibi, aut suis, aut humano generi sperare, praeter haec brevia et evanida, morte confestim abripienda; quorum despicientiam ipsa hominum ratio commendavit; quae, immortalia et aeterna appetere et spectare jussit. Neque credibile est Deum qui se satis ostendit et solertissimum et benignissimum, haec hominum optimorum desideria votaque ardentia, quae ipse inseruisse videtur, et praecipue commendasse, irrita et vana fieri voluisse.

METAPHYSICAE

PARS TERTIA.

DE

DEO.

Theologia naturalis quid.

QUANQUAM omnis Philoſophia jucunda ſit et frugifera; ejus tamen nulla pars feracior eſt et uberior illa quae Dei cognitionem continet; quaeque dicitur THEOLOGIA NATURALIS; exhibens ſcilicet, ea quae acute inventa fuere, aut accurate diſputata a Philoſophis, ſolis humanae rationis viribus ſubnixis: neque ea attingentibus, quae Deus optimus maximus, viros numine ſuo afflatos, miris ultra ſortem humanam indiciis, pro ſumma ſua philanthropia, docere dignatus eſt. Haec enim ipſa, imperfecta licet rerum praeſtantiſſimarum cognitio, non ſolum jucunda eſt, et viro digna; verum etiam ſumma praebet, ad omnem virtutem, ad omnia honeſta vitae conſilia, invitamenta; et firma ſimul jacit verae magnanimitatis, conſtantiae, et tranquillitatis fundamenta. Neque ſine aliqua theologiae naturalis cognitione, quiſquam ad vera Dei oracula a falſis

fictiſque ſecernenda, aut vera probe intelligenda, ſatis paratus inſtructuſque accedet. CAP. I.

Hujus ſcientiae brevem Synopſin tradentes; praecipuos breviter attingemus locos, quos copioſe tractant philoſophi: primo, de quaeſtione illa graviſſima, AN SIT DEUS: et deinde DE ATTRIBUTIS SIVE CONJUNCTIS DEI: et denique, DE DIVINIS OPERATIONIBUS.

CAP. I.

IN QUO OSTENDITUR DEUM ESSE.

IN hac doctrina, primum vindicat locum quaeſtio, 'an ſit DEUS.' Ut autem conſtet quae vis huic nomini ſubſit; DEUM primo dicimus, 'naturam quandam, humano genere multo ſuperiorem, mundum hunc univerſum ratione et conſilio moderantem.' Sufficit nobis haec adumbratio, accuratiorem mox tradituris divinae naturae deſcriptionem; cum eas expoſuerimus rationes, quae et Deum eſſe, et natura Dei qualis ſit oſtendent. Quicunque vero mundum hunc, et praecipuas ejus partes, credit naturae intelligentis ratione et conſilio adminiſtrari, Deum ille aut Deos eſſe credit; licet de natura aut attributis Dei, temere aut falſo pluri-

In quaeſtione, an Deus ſit; quid quaeratur.

PARS III.

ma alia ſtatuat. Hi enim ſoli ſunt Athei, qui mundum rectoris ſapientis conſilio negant in initio conſtitutum fuiſſe atque in omni tempore adminiſtrari.

DEUM ESSE, oſtendit ſolers mundi fabrica.

Deum autem eſſe, qui mundum hunc in initio conſtituit, atque in omni tempore regit, oſtendit ſolertiſſima mundi ejuſque partium omnium deſcriptio; quae ita ſunt fabricatae, ut neque ad uſum meliores eſſe potuerint, neque ad ſpeciem pulchriores.

Duplex agendi genus; ex conſilio, et ex bruta vi.

II. DUPLICEM intelligimus agendi vim eſſe: unam, ubi deſtinato conſilio ſpeciem quandam aut formam rebus inducere cupientes, corpora movemus: alteram, ubi de effectu, aut forma quacunque efficienda ſecuri, corpora quaevis nullo agitamus conſilio. Hac agendi ratione, nihil pulchrum, ordinatum, rebus prioribus ſimile, aut utiliter confectum ſperare licet. Ex illa facile oriuntur omnia pulchra, ordinata, ſimilia, atque utilia. Neque obſcura eſt hujus diſcriminis cauſa; cum numero infinitae ſint figurae ſituſque deformes et inutiles, quas recipere poſſint materiae cujuſvis partes: unica vero eſt forma, unicus fere partium ſitus, in data quavis ſpecie, pulchritudini aut uſui, inſerviens. Sine arte igitur et conſilio, ſpes nulla eſt ex bruta quavis vi impreſſa, vel pulchra, vel ſimilia, vel utilia, oriri poſſe. Quum igitur in

Utriuſque criterium; et, diſcriminis ratio.

mundo quotidie tot oriantur formae pulcherrimae, res ſimili ratione fabricatae, quarum partes innumerae ſolertiſſime et ad ſpeciem et ad uſum ſunt conſtitutae; qui haec omnia, ſine divina mente et ratione, confici potuiſſe credit, ipſe certe mentis et rationis expers eſt habendus. CAP. I.

III. Hoc argumentum qui copioſius velit pertractare, nae illi tota Phyſiologia eſt percurrenda: * ſumma tantum attingemus capita. Si quis corporum coeleſtium immenſas magnitudines et impetus, certos motus, ratoſque ordines cognoviſſet; SOLIS praeſertim magnitudinem, pulchritudinemque, atque etiam efficientiam; quod oriens efficiat Diem, diffuſa undique luce et laeta et ſalutari; occidens, det locum Tenebris requieti aptiſſimis; quodque idem conſtantiſſime efficiat tempeſtatum viciſſitudines anniverſarias, cum ſumma ſalute et conſervatione animalium omnium et ſtirpium; haec certe om- *Corporum coeleſtium motus ſolertiſſime inſtituti.*

* Hunc locum uberrime explicarunt philoſophi et antiqui et novi; Plato, Xenophon, Cicero, Arrianus, quique De Mundo libellum ſcripſit, inter Ariſtotelis opera, elegantiſſimum: novorum nomina recitare longum foret; Cudworthios, Stillingfletios, Newentytios, Rayos, Pellingios, Derhamos, Fenelonios, Cheyneos, Clericos, Nyeos.

PARS III. nia excellenti divinaque ratione fieri non dubitabit.

Terrae, Rerumque terrestrium, fabrica.

Ad TERRAM veniamus, circumfusam animali spirabilique natura, cui nomen est AER; vestitam Floribus, Herbis, Arboribus, Frugibus; quorum omnium incredibilis multitudo, insatiabili varietate distinguitur. Adde huc NUBIUM, quae Solis calore ex vasto oceano et paludibus excitatae, aeris gravitate suspenduntur, magnitudinem et usum; Montium Altitudines; Vim Ventorum; atque inde natas Fontium Perennitates, liquores Amnium pellucidos et salutares; quae terram hanc efficiunt laetum, copiosum, et amoenum, animantibus cunctis, domicilium. Nemo haec intuens Dei benignissimi vestigia non agnoscet.

Quam mira est eorum fabrica quae gignuntur e terra; quae radicibus iis continentur, quae succum ex terra trahunt: quanta est eorum varietas et pulchritudo! quanta eorum omnium vis, ut ex tantillis seminibus Herbas, Stirpes, Truncos, Ramos, Folia, Flores, et, Semina iterum proferant, incredibili varietate distincta, et animantium tot usibus infervientia! quorum quodque caeteris omnibus ex eodem genere, quorum infinita est multitudo, ita simile est, ut nulla manus, nulla ars, istiusmodi quicquam efficere, neque vel mens sibi fingere possit.

IV. ANIMANTIUM vero quanta varietas! quanta ad eam rem vis, ut in ſuo quaeque genere permaneant! Paſtum autem animantibus large et copioſe natura, eum qui cuique aptus eſt, ſuppeditavit: ad quem capeſſendum conficiendumque, quae in figuris ineſt animantium, et quam ſolers ſubtiliſque deſcriptio partium! quamque admirabilis fabrica membrorum! quae omnia ita nata ſunt atque locata, ut nihil eorum ſupervacaneum ſit, nihil ad vitam retinendam non neceſſarium.

Artis, et conſilii divini indicia, in animantibus.

Datus eſt animantibus et Senſus et Appetitus; ut altero conatum haberent ad res ſalutares et utiles capeſſendas; altero ſecernerent peſtifera a ſalutaribus. Inſitae ſunt membris vires, ad motus voluntarios mira varietate diſtinctos, quibus ſalutaria arripiant, et peſtifera repellant, aut declinent. Hi autem motus ſenſuſque certa lege excitantur, miro, et vix hominibus poſt longas diſquiſitiones, cognito artificio. Motus enim plurimos in corpore excitatos, haud ipſi animanti cognitos aut obſervatos, certi excipiunt ſenſus in animo: atque viciſſim, mentis decretum, de corporis parte movenda, confeſtim excipiunt hi motus expetiti; intervenientibus in utroque caſu motibus quibuſdam, earum partium quae intus ſunt incluſae, quos neque mens perceperat, neque impe-

In eorum Senſibus et Appetitibus.

PARS III. raverat. Atque, haec mutua corporis in mentem, mentisque in corpus efficacia, pertinet quousque utiliter pertinere possit, neque ultra porrigitur. Hi enim internarum partium motus continui unde pendet animantis vita, nobis dormientibus, aliud agentibus, aut etiam invitis conservantur: neque ullum sui sensum in mente excitant; qui nempe inutilis foret et molestus. Neque nostra sponte moventur hae corporis nostri partes, quarum motus voluntarius neutiquam nobis prodesse possit.*

Et Generum conservatione;

V. QUAM provido consilio conservantur animantium genera: et eorum quae gignuntur e terra! quae eam seminis habent vim, ut ex uno aut duobus plura generentur. Animantes aliae sunt mares, aliae feminae: parteſque corporis ad procreandum et concipiendum aptissimae, atque corporum commiscendorum mirae libidines. Quumque foetus eorum animantium quae lacte aluntur, ex utero primum excidit, omnis fere matrum cibus lacteſcere incipit: eaque quae paulo ante nata sunt, sine magistro, duce natura, mammas appetunt, et earum ubertate saturantur. Atque, ut intelligamus, quam nihil horum sit fortuitum, quamque haec omnia sint providae solertisque naturae opera; insitus est iis omnibus animantibus, quorum o-

* Part. II. Cap. IV. 2.

pera indiget ſua ſoboles, amor eximius et praecipua quaedam in iis quae procreaverint, educandis cuſtodiendiſque cura, ad eum uſque finem, dum ſe ipſa poſſint defendere; immo dum poſſint parentes ſua opera iis prodeſſe. Verum ubi neque parentum auxilio indiget ſoboles, neque poſſunt parentes ſua opera illi prodeſſe; aut abeſt omnino hic amor, aut ceſſat. CAP. I.

Quanta autem exiſterent conſilii ſolertiſſimi indicia, ſi tota hominis fabrica perſpecta foret? ſi corporis totius ſpecies et dignitas? ſenſuum organa ſubtiliſſime fabricata, et aptiſſime locata? Quid loquar de animantium omnium oculis aut auribus? Quid de iis quae intus ſunt incluſa? Quid de hominum vultu omnes animorum motus indicante? Quanta opera machinata eſt ad uſum orationis natura? quam aptas, quamque multarum artium miniſtras dedit manus? *In hominis praeſertim Fabrica corporea;*

VI. VENIAMUS ad animi partes, quarum eſt aſpectus illuſtrior; et praecipue ad vim Rationis; quae homini in omnia terreſtria, ſive animata, ſive inanima, dederat imperium. Hominum ratione et prudentia tot artes inventae, quibus tanta rerum utilium et jucundarum copia ſuppeditatur. Hominum ratio in coelum uſque penetrat, et mundi pulchritudinem contemplatur; quae certe homini non a fortuna, non a paren- *Atque in Animi partibus;*

PARS III. tum consilio aut arte, quae nulla intervenerat, sed a Deo sapientissimo profecta est.

Et viribus nobilioribus.

Quid memorem alias animi partes? quod soli fere homini datum sit, rerum pulchritudinem, ordinem, partium convenientiam et usum cernere. Quod sentiant homines etiam in animi consiliis, in dictis factisque, quid Pulchrum et Honestum, quid deceat, quis Modus. Quodque animi affectus, et agendi consilia omnia, eo magis hominum sensui se probent, et ab omnibus laudentur, quo majorem in vita felicitatem, atque ad plures pertinentem efficere sunt idonea; etiam ubi hi qui comprobant et laudant, nullam suae utilitatis cujuscunque habeant rationem.

Quid? quod et benignissimo consilio, animi constituuntur appetitiones? Natura enim non SE solum CUIQUE commendavit; verum etiam Conjugem, Sobolem, Cognatos, Vicinos, Cives, quos omnes gratuita bonitate prosequimur, ubi nulla extiterat dissidii causa: atque boni bonos diligunt, quasi propinquitate conjunctos et natura. Serpit etiam longius haec hominum caritas, et totum aliquando complectitur humanum genus. Quid memorem naturalem honestatis, etiam in iis quos nunquam vidimus, comprobationem, miserorum commiserationem, bene meritorum gratam memoriam?

vinculis hiſce, quae oculorum aciem fallunt, homines inter ſe colligavit natura; et ad coetus, concilia, et civitates inſtituendas ſubegit; eoſque ad omnia praeclara vitae officia ſubornavit. Haec omnia qui fortuito eveniſſe putaverit; neſcio quaenam ſolertiae, conſilii, aut prudentiae opera relinquere poſſit. CAP. I.

Finge etiam compagem corpoream cogitare poſſe, (quod tamen a vero prorſus abſimile eſſe docuimus) * delicata tamen, arteque exquiſitiſſima conſtructa ſit oportet, ipſis atheis fatentibus, quae cogitando ſufficiet. Quod igitur materia bruta inerſque, adeo crebro, et conſtanter, rato quodam ordine, ita artificioſe componatur, ut ad cogitandi vim evehatur; idque in ſingulis quibuſque hominibus naſcentibus, (ne de aliis animantibus loquamur,) ſine ulla naturae ſapientis potentiſque ratione et conſilio, nemo ſine ſumma pervicacia, garriendique licentia dixerit.

VII. In hac autem diſputatione ſedulo monendum eſt, naturam ratione praeditam, et conſulto operantem, pariter in utramque partem operari poſſe ubi voluerit; efficiendo ſcilicet vel res pulchras, ſimiles et utiles; vel, deformes, diſſimiles, et inutiles. Immo deſtinato conſilio aliquando, natura vel ſolertiſſima quaedam effi- *Diſſolvuntur argumenta in contrariam partem.*

* Part. II. Cap. III.

PARS III. cere ſtuderet inculta et horrida; in aliis nullum ornatum aut pulchritudinem expeteret: Ex vi tamen bruta nunquam efficietur quicquam pulchrum, uniforme aut utiliter conſtitutum. Non igitur ea, quae in mundo videntur neglecta et inculta, juſtam praebent cauſam, cur de providа rerum adminiſtratione dubitemus: cum tanto plura ſolertiſſime conſtituta, mundum divina regi providentia confirment.

Quid? quod ea omnia fere in mundo, quae ab Epicureis ita vitio vertebantur, ut negarent mundum divinitus fuiſſe conſtitutum, magis ſedulis rerum ſpectatoribus, optime et ſolertiſſime fabricata reperiantur, aut ex ea machinatione neceſſario ſequi, quae optima eſt omnino, et ſolertiſſima: adeo ut haec ipſa non levia ſint divinae ſapientiae indicia.

Adducuntur et aliae rationes.

VIII. Ex his omnibus non temere colligimus, naturae ſapientiſſimae potentiſſimaeque ratione et Numine mundum fuiſſe conſtitutum. Non tamen omittenda ſunt alia in hac cauſa argumenta, acute a philoſophis excogitata; quibus etiam ad pleniorem Dei cognitionem provehimur.

Eſt neceſſario aliquid Primum et Independens.

'Plurimae res nunc ſunt; ergo et in omni 'tempore priori, aliquid fuerat.' Ratio et prudentia nunc ſunt in mundo; ergo et fuerant ab aeterno tempore, et a primo. Virtutes enim

iſſiuſmodi veriſſimae oriri non poterant ulla earum rerum vi, quae rationis et conſilii fuerant expertes. Cumque cauſarum conſulto operantium ſeries infinita animo concipi non poſſit, ſine natura quadam prima omnino et aeterna, quae a nulla priore fuerat effecta; * aeternum colligimus Deum a primo fuiſſe, eumque ſumma ſapientia et potentia praeditum; a quo ſolo hae virtutes ad homines proficiſci poterant, quae neque a bruta materiae vi, neque a parentibus inſciis dimanaſſe potuerunt.

Materia non eſt independens; neque mundus corporeus.

Docent ſcriptores metaphyſici, materiam ſive corpus, quod nullam capit virtutem aut perfectionem, non fuiſſe rem primam per ſe, et aeternam; cauſam vero conſulto operantem exegiſſe, a qua figuram et ſitum acciperet. Fingatur autem materia aeterna ſine cauſa: fuerat tamen omnino natura quaedam altera, a qua motum acceperat materia, quae ad motum vel quietem eſt indifferens: quumque intelligi nequeat motus aut vis impreſſa, quae non in aliquam plagam tendat: materia vera omnis motu pariter in quamcunque plagam ferri poſſit; in tanta ambiguitate, nulla movendi vis materiae vel naturalis, vel neceſſaria cenſeri poeſt: aſt omnis quam habet, naturae intelligentis vi fuerat impreſſa. Fingatur tamen materia

* Vide Part. I. C. IV. 5.

PARS III. utcunque mota, aut movendi vim ſortita, nullum tamen conſilium aut prudentiam: nunquam inde extitiſſet tantus mundi ornatus.

Nova, ex Phyſicorum inventis, argumenta.

Quid? quod, rerum cauſas qui diligentiſſime nuper explorarunt, nova cernunt ubique providi conſilii veſtigia, novas cauſas cur ad divinam vim omnia moventem ſit confugiendum. Non igitur naturae inſcitia, et cauſarum ignorantia, homines ad Deum mundi architectum recurrere compulerunt.

Nec pauca ſunt in mundo novitatis, et recentioris originis argumenta; quae oſtendunt neque terram hanc ab aeterno tempore fuiſſe, neque in aeternum durare poſſe idoneum animantibus domicilium. Ne quid enim dicamus de ſole, perpetuo luminis effluxu aliquando exhauriendo, deque planetis quorum motus in ſpatiis non prorſus vacuis paulatim retardantur; imbrium et ventorum vi, plurima materia ab editioribus terrae partibus quotannis in alveos maris defertur. Hac continua mutatione, in tempore finito quodam, altiora omnia deprimentur, et humiliores lacunae replebuntur; atque terra tota marinis aquis cooperietur. Adde huc, artium et ſcientiarum recentiorem originem; hiſtoriarum fidem haud admodum antiquam; et famam de mundi recentis origine, apud omnes fere gentes conſervatam; om-

niumque communem de Numine quodam omnia moderante conſenſum, nullis ſenſuum prejudiciis ſubnixum. CAP. I.

Huc accedat rationum quae hanc adſtruunt ſententiam comparatio, cum iis quae in contrariam partem adduci poſſint. Spectentur etiam illae anguſtiae quibus implicantur, qui naturae primae et ſapientiſſimae notionem difficilem declinantes, vel ad mundum per ſe aeternum, ſolertiſſimeque conſtitutum, nulla tamen ratione, nullo conſilio moderante; vel ad atomorum concurſum fortuitum confugiunt: atque nemo cordatus non videbit, utra ſententia ſit viro gravi et ſapienti probanda. *Contentio duarum ſententiarum.*

IX. ARGUMENTIS Carteſianis non utimur, quippe manifeſta fallacia laborantibus. Dicit primo; "Ideae cujuſque cauſam eſſe aliquam, "tanta ſaltem perfectione praeditam, quanta in "ipſa Idea repraeſentatur. Habemus autem i-"deam entis infinite perfecti; eſt igitur natu-"ra quaedam praeſtantiſſima, infinite perfec-"ta." Quae ad hanc concluſionem ſumuntur tanquam aperta, ſunt, ſi non falſa, certe ambigua. Ideas enim obſcuras et inadaequatas virtutum, ſuis longe praeſtantiorum, ſibi ipſi fingunt homines: neque quiſquam pleniorem aut clariorem habet entis ſummi ideam, quam ipſe ſuarum virtutum Ideas amplificando, et a vitiis *Argumenta Carteſii.*

PARS III. purgando, ſibi effinxit; niſi cui Deus ſenſum ſui clariorem, ſupra communem hominum ſortem largitus eſt. Fruſtra inſtat Carteſius, "hominem ſatorem, eandem ſummae perfectionis habuiſſe ideam: quumque ſibi ad exiſtendum ſuffecerit, ſuffecit etiam ad ſummas ſibi perfectiones tribuendas." Quod nihil affirmabit, niſi ſui cauſa efficiens dicatur Deus, quod abſurdum.

Perſtat tamen, dicens "neceſſariam Exiſtentiam in Idea entis perfectiſſimi includi: ens igitur infinite perfectum exiſtit." Quicunque tamen propoſitionum abſtractarum naturam perſpexerit, cernet, hinc tantum colligendum, "quod ſi modo ulla ſit natura perfectiſſima, eam neceſſario eſſe, neque ab alterius voluntate pendere: haud vero inde conficitur eſſe aliquam ejuſmodi naturam."

CAP. II.

De Virtutibus Dei Naturalibus.

QUUM ſatis docuiſſe videamur, ab omni aeternitate fuiſſe naturam aliquam praeſtantiſſimam; ad ejus Virtutes ſive Attributa explicanda progredimur. Ex Logica ſatis intelligitur, Ideas noſtras omnes ex ſenſu aliquo, vel externo vel interno, oriri. Quae ſenſibus externis objiciuntur, argumenta ſuppeditant, ex quibus et Deum eſſe, et omni virtute eundem eſſe praeditum, merito colligimus: ipſas tamen Dei virtutes nulli ſenſus externi attingere poſſunt. Animorum igitur virtutes omnes ſenſu interno, aut interna ſui ſuarumque affectionum conſcientia, intelliguntur. Hinc omnia ſaltem primordia notionum quae virtutes divinas repraeſentant, in mente ſubnaſcuntur. Quum autem conſtet naturam primam et praeſtantiſſimam, vitiis iis omnibus et defectibus, quibus hominum virtutes laborant, eſſe immunem; haſce virtutum noſtrarum aut perfectionum Ideas quantum poſſumus augendo, omneſque ab iiſdem defectus amovendo, virtutum divinarum notiones, quas capere poſſunt mentes noſtrae perfectiſſimas informamus: unde quo-

Quo modo innoteſcant Attributa Dei.

PARS III. dammodo Communicabiles dici possunt omnes virtutes divinae; quia earum quaedam similitudo, aut obscura adumbratio in rebus creatis reperiatur. Incommunicabilia tamen vocantur ea nomina aut attributa, quae summum et altissimum notant virtutum gradum, ad quem solius Dei virtutes ascendunt.

Communicabilia et incommunicabilia.

Independentia et Necessaria Existentia.

II. INTER attributa quae communicari nequeunt, primum locum tenet Independentia, qua Deus per se, primus omnium, semper fuisse intelligitur: ita ut neque causam ullam agnoscat, neque vim extrinsecus advenientem, cui quicquam sui debeat. Hinc tamen minime somniandum est, vel Deum sui causam esse, ejusve attributum vel conjunctum quodvis reliquorum esse causam, aut rationem effectricem. Independentia in se includit quod Deus a primo semperque sit necessario; ideoque, a nullius voluntate pendeat. Naturae autem primae nulla causa aut Ratio Efficiens est quaerenda; neque Naturae Necessitas est causa aut ratio, cur ipsa res sit cui haec inest necessitas; quum nullum conjunctum re cui adhaeret prius esse possit.

Unitas.

III. HINC etiam colligimus Unum tantum esse Deum, si Dei nomine intelligamus Naturam primam, a nullo creatam. Plures enim istiusmodi fuisse res, neque ratio ulla suadet, neque

intelligi poteſt. Ubi enim rerum quarumvis certus eſt numerus, cauſae cujuſdam voluntariae aut liberae voluntatem, ſive conſilium, quo hic numerus prae alio conſtitueretur, interveniſſe omnino cenſendum eſt: quod de Natura prima fingi nequit. CAP. II.

Hoc idem oſtendit ipſa mundi fabrica: cujus omnes partes nobis cognitae, ita ſunt inter ſe connexae, aptae, et a ſe mutuo pendentes, ut unici artificis conſilium indicare videantur. Non tamen omnis pietas aut religio tolleretur, neque omnia virtutis fundamenta everterentur, licet credatur plures eſſe Deos: ſi modo concordi Deorum benignorum et prudentium concilio imperium in mundum univerſum aſſeratur. *Polytheiſmus non omnem tollit Pietatem.*

IV. Simili plane ratione Virtutes ſive Perfectiones Dei eſſe INFINITAS ſive maximas, eumque omni vera et pura perfectione praeditum, concludimus ex eo quod ſit omnino primus a nullo ortus. Ubi enim res quaevis certis tantum gaudet virtutibus, non omnibus, aut finito quodam perfectionum modo et menſura; haec cauſae effectricis voluntate omnino determinata fuiſſe videntur. Naturam igitur primam, quae nullam agnoſcit cauſam, omnes habere virtutes, omnem praeſtantiam, eamque infinitam, merito colligimus. *Deus infinitus;*

V. DEUM non eſſe corporeum, eaedem

PARS III. ostendunt rationes quibus mentes humanas esse res a corpore diversas, materiamque cogitare non posse, aut sui sensum habere conficitur*. Neque quicquam sensus expers ullam habere potest praestantiam aut perfectionem; quae tamen omnis naturae omnium primae tribuenda est.

Deus est Spiritus.

Simplex.

VI. DEUM esse naturam SIMPLICEM, partium expertem, neque ex rebus diversis concretam aut conflatam, efficitur ex eo quod sit spiritus; quodque natura omnium prima a nullo orta sit perfectissima. Non igitur adscititiae sunt perfectiones Dei: verum omnes a primo cum natura divina necessario connexae. Est igitur IMMUTABILIS: adventitia etenim omnia, ad defectum aliquem supplendum accedunt. Recte igitur definitur Deus 'Spiritus indepen-
'dens, cujus virtutes omnes sunt praestantissi-
'mae.'

Immutabilis.

Immensus, et Aeternus, quo sensu.

VII. Quum in tempore omnia quae novimus, successive durare videantur; ejusque notionem quandam aut sensum secum trahat omnis mentis actio aut passio, cujus ipsa est conscia: quumque ea omnia corporea, inter quae versamur, spatium quoddam aut locum replere videantur; ardua extitit de natura divina quaestio; 'an successive duret, aut cum spatio

* Part. II. Cap. III.

'diffundatur.' In contrarias abiere partes viri graviſſimi *. Quidam Deum, omnemque rem cogitantem, ita ſimplicem cenſent, ut neque eum ſpatio coextendi, aut locum quemvis occupare poſſit: haec enim ſine partibus vere diverſis, utcunque ſimilibus aut cohaerentibus intelligi nequeunt. Quod etiam ex eo confirmant; quod, ſpirituum affectiones, virtutes, et vitia, eaque omnia quae mentis ipſius naturam attingere videntur, quaeque nos natura duce, mentis noſtrae affectiones eſſe judicamus neque per ſpatium quodvis diffundi, neque per locum quemvis extenſum porrigi poſſe videantur. Simili item ratione, (quod tamen mentis aciem fugere videtur) cenſent quidam, naturam divinam ſimplicem et immutabilem, omnia eadem ſemper unico intuitu et actu intelligentem et volentem, ne vel ſucceſſive durare. Alii contra viri etiam graviſſimi, hanc non capientes ſententiam, ſtatuunt durationem aeternam eſſe ipſam Dei aeternitatem; ejuſque immenſitatem eſſe ſpatium ipſum infinitum. In difficili hac quaeſtione quae humani ingenii vires prorſus ſuperat, vix quicquam quaſi ſatis exploratum poſſumus affirmare; praeter hoc ſolum, quod 'quae in omni ſpatio eveniunt, Deo ſemper

CAP. II.

* Part. I. Cap. III. 4. et Part. II. Cap. III. 4. 5.

PARS III. ‘ sunt et fuerant percepta et comprehensa: ‘ quodque per omnia loca semper possit efficere ‘ quae voluerit: verosimilior videtur sententia prior, quamvis ita obscura, ut vix in cogitationem cadere possit.

Incomprehensibilis.

VIII. Ex his Dei attributis aut virtutibus naturalibus, quae cum aliis communicari nequeunt, praecipue cernere licet Deum Incomprehensum esse, neque ulli menti finitae satis perceptum. Neque quidem de Deo hoc dicendum eo tantum sensu, quo de alia qualibet Re sive Substantia dici potest, quod scil. intima ipsius natura nos lateat, quodque ejusdem innumerabiles ad res alias habitudines nemo perspectas habeat et cognitas: verum etiam quod nostrae horum attributorum ideae minime sunt propriae, quae ipsa depingant aut repraesentent, quamvis eadem aliquatenus attingere videantur. De attributis moralibus quae Communicabilia dicuntur, aliud statuendum. Eorum enim Ideae sunt propriae, eademque vere depingunt, quantumvis imperfectae sint et minime adaequatae: omnia enim argumenta quibus conficitur Deum esse, docent etiam eum summa Sapientia, Potentia et Bonitate praeditum, etiam ejusdem modi cujus nos distinctam aptamque informationem animo concipimus.

Ad eas virtutes explicandas jam progredimur, quarum notitiam, ex ea noſtrarum virtutum intimâ conſcientia, cujus antea mentionem fecimus, haurimus. CAP. II.

CAP. III.

DE VIRTUTIBUS DIVINIS QUAE AD INTELLECTUM REFERUNTUR.

Deus vivens et omnipotens.

QUUM Deum Viventem dicimus, hoc volumus, quod omnia intelligat, et percipiat, ſuaque voluntate efficaci moveat et regat. Neque alio ſenſu Anima Mundi dicendus eſt. Non enim ex materiae motibus, grato ſenſu aut moleſto invitus afficitur Deus, prout a corporum ſuorum motibus ſaepe hominum animae afficiuntur. Quinetiam cum natura divina ſit plane actuoſa, et ſimul omni perfectione abſoluta; non dubitandum eſt, Deum omnia quae voluerit efficere poſſe: ſive omnia ipſi poſſibilia eſſe, prout in Ontologia † poſſibilia definivimus.

Sapiens et omniſcius.

II. DEUM eſſe Sapientiſſimum, neque caeco agere impetu, docet mundi univerſi figura et fabrica ſolertiſſima, docet ea ratio et prudentia qua praediti ſunt homines; quam in hominum ſatore perfectiorem eſſe neceſſe eſt.

Ideae divinae.

Ideae divinae, re omni externa priores, neque ab exemplari externo, neque a natura ſuperiori excitari poterant: quumque ad earum

† Part. I. Cap. I. 4.

exemplar omnia fuere fabricata, res omnes adaequate repraesentant. Senſationes igitur et Imaginationes, ideaeve quaevis inadaequatae, Deo haud adſcribendae. Rerum omnium creandarum, aut quae creari poterant, formas aut notiones Deum a primo in iis omnipotentiae et ſapientiae opibus quibus pollebat, quarumque planiſſime ſibi conſcius fuerat, involutas et implicatas perſpexiſſe putandum eſt. Neque credibile eſt primas rerum omnium Ideas, ipſum Deum in mente ſua, rerum omnium finitarum a primo inſcia, tanquam obſcuras quaſdam virtutum ſuarum adumbrationes, ſponte olim effinxiſſe. Si quidem enim a primo ipſe Deus, omneſque virtutes ſuae ſibi perſpectae fuerant, res etiam alias omnes, in quibus ipſius ſapientia, potentia et bonitas olim verſatura eſſet, a primo perſpexerat. Quod uberius ex eo confirmatur, quod praeter ipſam Entis notionem generalem, omnes aliae aliquam ad alia habitudinem, in ſe includant, aut aliquid relativi contineant: Unde neque ipſae divinarum virtutum Ideae, apud Deum plenae diſtinctaeque eſſe poterant; niſi et rerum aliarum ideae adfuiſſent. Haec de quaeſtione hac ardua, veroſimiliora videntur. CAP. III.

III. PARUM praeſtantiae in ſolis Ideis reperiretur, niſi adſit etiam ſcientia, aut cognatio- *Scientia infinita.*

PARS III. num et connexionum omnium quae inter eaſdem intercedunt perſpicientia. Unde Deo tribuenda et altera mentis operatio, quae Logicis Judicium dicitur aut Scientia infinita: ab omni dubitatione, errore, ignorantia, oblivione, et laborioſa a notioribus ad ignota eruenda progreſſione immunis, atque ad omnia pertinens.

Scientia ſimplicis intelligentiae.

Duplicem Deo ſcientiam aſcribunt ſcholaſtici. Scientiam nempe Simplicis Intelligentiae, et Viſionis. Illa veritates omnes abſtractas, ſuamque naturam et virtutes neceſſarias perſpicere cenſetur Deus: Ea nempe omnia, quorum ne vel ipſam Dei Voluntatem cauſam eſſe volunt: quum inter ipſas in mente Dei Ideas aeternas neceſſariae fuerant relationes aut nexus immutabiles, quae in veritatibus hiſce aeternis et abſtractis enunciantur. Neque quidem ſibi fingere poteſt quiſquam, eas veritates aliter ſe poſſe habere; aut rerum naturam ita immutari, ut propoſitiones iſtiuſmodi falſae evaderent.

Scientia viſionis.

Scientia viſionis, a primo praeſciviſſe cenſetur Deus omnes veritates abſolutas, de rerum omnium Exiſtentiis, et mutationibus quibuſcunque quae ipſis eveniunt: quae ſcil. ab ipſius decreto omnes eventus regente pendere ſtatuuntur. Haec omnia igitur non in effectis, ſed in ſuo propoſito efficaci, Deus perſpicere cenſetur.

Quicunque hoc duplex ſcientiae genus Deo aſcribentes, utrumque ad omnia pertinere volunt, nullum alteri generi, quam Scientiam Mediam vocant, qua ex hypotheſi prouideat Deus quid acturi ſint homines, relinquet locum. Pro diverſis autem de libertate ſententiis diverſae ſunt etiam de ſcientia divina. De eventis quae a cauſis naturalibus et neceſſariis pendent, nulla controverſia: de ſolis cauſis liberis diſputatur. Qui Stoicorum de Libertate ſententiam amplexantur, cenſent, quod perſpectis omnium Agentium ingeniis, ſive naturalibus ſive adventitiis, cognitiſque omnibus invitamentis et illecebris, quae ad has aut illas actiones alliciant, una cum ſubſidiis omnibus quae agenti ſuppetunt, certum praeſcientiae divinae jactum ſit fundamentum in quod innitatur; idque ab ipſo Deo, qui haec omnia ſuo Decreto conſtituerat. Neque Dei ſummam praeſtantiam pati cenſent, ut divina ſcientia, nova eventuum obſervatione indies augeri, Deuſve incertas de rebus futuris conjecturas facere credatur. CAP. III. *Scientiae mediae nullus locus.*

Qui contrariam de Libertate tuentur ſententiam, hanc Stoicorum doctrinam, de Praeſcientia et Decretis, in malis etiam actionibus decernendis et praevidendis, Dei ſanctitati et juſtitiae adverſari putant, neque ullam virtuti aut vitio locum relinquere. De divina ſanctitate *Peripateticorum ſententiae variae.*

PARS III. cum certa omnium eventuum praescientia et decreto concilianda, alius * erit agendi locus, ubi de operationibus divinis. De virtute et vitio in actionibus certo provisis † jam antea diximus. Hoc tamen ipsa aequitas postulat ut moneamus, Peripateticae de Libertate rationis patronos neutiquam providentiam ad omnia pertinentem Deo denegare: neque omnes quidem, certam omnium rerum praescientiam negant. Quidam enim et homini indifferentem sui quaquaversus flectendi, non obstantibus quibuscunque invitamentis libertatem tribuunt; et simul Deo ascribunt certam omnium actionum ab aeterno praescientiam: quae quidem nobis inconstantissime dici videntur. Alii eam libertatem hominibus asserentes, praefracte negant actiones liberas certo fuisse provisas; hoc enim fieri non posse contendunt: neque inde magis quicquam omniscientiae divinae detrahi, quam omnipotentiae detrahitur, quum negamus Deum efficere posse ea quae fieri nequeunt, quaeque impossibilia dicuntur. Utrique tamen statuunt, Deum ex certis causis plurima praesciviisse; semperque praesentem, suaeque omnipotentiae conscium, se omnia, sua vi subinde interposita, optime recturum et administraturum, a primo se-

* Part. III. Cap. ult. 4. † Part. II. Cap. II. 3.

cum ſtatuiſſe; atque ſemper perſpectum habu- CAP. III.
iſſe, quouſque, et in quas partes, hominum licentiam evagari, quamque facile ipſe eandem reprimere poſſet.

Quum tanta pietate curaque religioſa, ne quid Dei virtutibus derogetur, moveri videantur, contrarium in hac ardua quaeſtione ſententiarum patroni; a maledictis, contumeliis, iracundis contentionibus, et odiis, abſtineant, neque inter ſe convicia, philoſophia indigna, jactent.

CAP. IV.

De Voluntate DEI.

Voluntas Dei, qualis.

I. VOLUNTATEM etiam Deo tribuimus, noſtrae, remotis omnibus vitiis, debilitate, et imperfectione, ſimilem: neque perfecta foret natura intelligens quae voluntate careret. Nulli tamen in Deo ſunt motus perturbati, humanis ſimiles paſſionibus; nullus ſenſus moleſtus, aut aegritudo: cum natura potentiſſima et ſapientiſſima nulli obnoxia ſit laboris in re expetita conſequenda defatigationi, aut timori ne ſpe ſua decidat. 2. Quamvis in eventibus externis, praeſertim in optimo et beatiſſimo mundi ſtatu, delectari cenſeatur Deus, non tamen inde vitae divinae proſperitas perpetua ſit incerta, precaria, aut a rebus pendens externis: quum hae omnes, omniſque earum ſtatus, ab ipſo potentiſſimo pendeant. 3. Deo beatiſſimo vix quicquam ex Philautia videri poteſt expetendum, quod ſuam augeat proſperitatem. 4. Ex ſtabili potius benignitate, et felicitatem cum aliis communicandi voluntate, Deo naturali et immutabili, dimanare videntur omnia ipſius agendi

Ipſius beatitudo non ab externis pendet.

consilia. 5. Quaecunque Deo per se grata sunt aut expetenda, eorum majora, magis, et maxima quaeque, maxime expetuntur. 6. Deo libertatem omnes ascribunt, aut variam. Eum tamen quicquam suis virtutibus innatis contrarium velle posse vix quisquam dixerit; aut non velle quae iisdem conveniunt. Non igitur ad ea omnia quae a voluntate ipsius pendent indifferens, aut utrique parti a primo aequus censendus est Deus: est enim quaedam etiam Dei voluntas necessaria. 7. Quamvis in ipsis Dei consiliis quaedam finis rationem habeant, quaedam mediorum; quum quaedam viliora aliis praestantioribus inservire videat: progressionem tamen a fine expetito ad media decernenda, nostrae similem, haud admittit divina praestantia: quae unico prospectu omnia quaeque cernens, totam potius rerum omnium consecutionem stabili voluntate simul decernit.

Argumenta quae Deum docent esse bonum.

II. Deum esse omnino BONUM et BENIGNUM, colligimus non solum ex naturali illa anticipatione, quod soli boni sint beati; quodque ipsa benevolentia maximam vim habeat ad vitam beatam, illi cui inest, parandam, neque alium quemvis vitae beatae Deo summis opibus pollenti fontem obstrueret; sitque etiam per se laudanda, et summa naturae cujusvis in-

PARS III. telligentis praeſtantia et perfectio, cujus etiam in ipſa, ſenſus erit laetiſſimus: verum etiam quod naturae praeſtantiſſimae, nullius rei ſui cauſa indigae, nulla occurrere poſſint in partem contrariam invitamenta.

Triplex intelligi poteſt agendi prorſus ultimum conſilium aut propoſitum; vel enim ſibi quis vitam beatam paret, vel aliis eandem efficiat, vel miſeriam aliis adſciſcat: nam ut ſibi quiſquam miſeriam doloremve adſciſcat, quia miſeria eſt, intelligi nequit. Sibi vitam parare beatam, haud in omnibus agendi conſiliis ſpectare poteſt Deus; neque miſeriis alios implicare ultimo et per ſe appetere. Deo talis appetitio naturalis aſcribi nequit, cum ne vel miſeriae ſenſum aut notionem, aliter quam obſervatis iis quae rebus a ſe creatis et imperfectis accidunt, adipiſci poſſit. Haud igitur miſeria, vel ſua vel aliena, a primo, Deo a natura ſua commendata fuit; neque ulla natura conciliatio eſt eorum quorum nullus eſt ſenſus proximus et naturalis. Reſtat igitur ut Deo bonitatem ſive Benevolentiam gratuitam et naturalem adſcribamus.

Huc accedat, quod, ſi quicquam ex vulgarium hominum nedum ex optimorum ingeniis de natura Dei conjectari liceat, malevolentia

omnis et ira et invidentia eum cui insunt ad alios confestim laedendos, deprimendos aut interimendos stimulat, quo peracto, per se cessant hae animi affectiones molestae, neque amplius foveri solent, quippe gaudio nullo sensuve laeto amplius comitatae: quum contra ingenii bonitas et benefaciendi studia, quo magis in beneficiis tribuendis exerceantur, eo magis vigeant et augeantur, ita ut ex istiusmodi officiis insatiabilis oriri possit naturae potentissimae voluptas.

Ex ipsa mundi fabrica benigno consilio excogitata.

Tota etiam mundi machinatio, omnia quae arte et consilio fabricata sunt; benigno consilio videntur instituta, atque ad vitam et felicitatem efficiendam aut conservandam destinata: neque quicquam arte solertiaque videtur constitutum in eum finem, ut dolorem efficiat inutilem aut miseriam. Maligni consilii, aut machinationis invidae aut saevae nullum est vestigium; quod sub numinis maligni imperio saepius omnino in mundo, aut potius semper, cernere licuisset. Spectetur ea mundi figura et conformatio quae Deum esse ostendit; quam pulchra, solers, et benigna sit! quantam earum rerum copiam suppeditavit natura benignissima, quae ad vitam commode, immo jucunde agendam inserviunt! Ita hominum, ita animantium omnium sensus sunt constituti, ut quae sa-

PARS III. lutaria et utilia, ea fere omnia sanis sint etiam grata; ad pestifera autem declinanda, sensu incitentur molesto. Omnes a natura insiti appetitus, ad sui cujusque aut generum conservationem et felicitatem utiles sunt, immo necessarii. Acri quodam decori et honesti sensu, una cum affectibus benignis et communibus, incitantur homines ut alii aliis prodesse velint, et mutua praestent auxilia: recti et honesti sensu laetissimo remunerantur, qui operam in aliorum felicitatem strenue navarunt; quos etiam gaudio afficiunt honestissimo aliorum omnium comprobatio et laudatio. Qui vero haec deserunt officia, aut contraria agunt, acri conscientiae suae morsu et verberibus caecis puniuntur.

Ex Felicitatis in mundo exsuperantia.

Majorem haec omnia vim habent, quod longe longeque plura videamus in vita bona et laeta, quam tristia et lugubria: ita ut in vita manere, fere omnibus sit expetendum: atque his ipsis, quibus aliquando e vita excedere exoptabile videtur, per plures multo annos vita fuerat laeta et expetenda.

Quum autem in rerum coagmentatione sive mundo vel optime constituto, debeant esse diversa animantium genera, superiora et inferiora, ut locus sit praeclaris animi virtutibus ubi se exerceant: excluderentur enim commiseratio,

et beneficientia, liberalitatisque opera praecipua, prudentiorum curae sagaces, fortitudo, aequanimitas, patientia, lenitas, et officia fere omnia gratuita, (quorum sensus est omnium longe laetissimus, et memoria jucundissima;) si nulla esset imbecillitas, nulla indigentia, nulla hominum vitia et errores: quumque nulla officia honesta suscipienda essent, nullus consilio, prudentiae et industriae locus, nisi leges in rerum natura vigerent generales, quibus cognitis, rationes suas possint homines instituere, et ex certis actionibus certos sibi polliceri effectus et consequentia; ex legibus autem vel optime institutis quaedam necessario orirentur mala: haud eam habebunt vim quae conspiciuntur in vita mala, ut probent mundum non fuisse a Deo bono constitutum. Enimvero sub Dei vel benignissimi imperio mala istiusmodi evenirent. Atque quidem quae cernimus mala, multa licet et varia, non in ipsa rerum machinatione sive artificio destinata videntur, tanquam ipsius finis proprius: verum ex materiei imbecillitate, inferiorum agentium errore, aut casu, praeter naturale operis propositum sive scopum eveniunt, secundum leges omnino utiles et necessarias.

CAP. IV.

Varia Naturarum sentientium genera exigit optimum mundi systema.

Ea etenim quibus non pauci premuntur mala, sequi plane videntur ex ea rerum structura

PARS III. et machinatione, iisque naturae legibus, quae omnino sunt necessariae et utilissimae. Conservari nequirent animantium corpora, nisi ea quae corporis fabricam laederent, ejusve compagem dissolverent, declinare et repellere, acri doloris sensu monerentur et subigerentur: si non sine multo labore, possint homines necessaria ad victum et amictum comparare; neque sine majore labore cultior fieri possit vita: labor ipse ad sanitatem, ad vires, tum animi tum corporis, plurimum confert. In artibus autem excolendis, usus et meditatio mortalia acuunt corda; et voluptates, non labores, dicenda sunt.

Malorum causae variae, quae et ea cum bonis a Deo benigno permiscenda, suaderent.

Sensationes molestiae, saepe utilissimae.

Quis autem contra naturae studia sensusque tam vehementer obduravit, ut eos animi motus vituperet, quibus aliorum infortunia deploramus, quibusque ad opem aerumnosis ferendam incitamur, quamvis molestiam aliquam secum ferant? Aut eum animi morsum aut dolorem, quem ex criminum nostrorum conscientia capimus; quam Deus benignus vitiorum medicinam esse voluit? Immo, quis omnem damnabit iram et indignationem, quibus nempe, ad nos nostrosque et bonos quosque ab injuriis tuendos incitamur; ad malos etiam deprimendos, bonosque ad altiores dignitates promovendos stimulamur?

Quid? quod ipsa mors, a qua tam vehementer abhorremus, etiam necessaria videatur, si mundi totius habeatur ratio: ut scilicet hi quos omnium vitae voluptatum satietas ceperat, quique bene vivere nesciunt, decedant iis quibus vita erit laetior, quique ea decentius uti possunt. Neque quicquam habet mors immatura adeo triste et luctuosum, iis ipsis qui e vita excedunt, neque iis parum consuluisse censendus est Deus. Aufert mors vitae voluptates quas expectabant: ast post mortem, viris bonis aut laetus erit sensus, aut nullus: si prius, quod et recta ratio, et omnium gentium consensus affirmat; multo erunt feliciores: si posterius; certe non erunt miseri. Neque breves morborum dolores id habent momenti, ut cum diuturna sanitate, crebrisque vitae voluptatibus compensari mereantur. CAP. IV. *Mors etiam expetenda.*

Exiguam denique mundi partem cernimus, pro brevi etiam temporis spatio. In hoc angulo, et in brevi hoc tempore, vitae malis longe plura sunt bona; ita ut fere omnibus in vita manere, potius quam penitus interire praestabilius sit; omnisque rerum machinatio benignum ostendit artificis summi consilium. Mala plurima, etiam in hoc aevo, magnas videmus afferre utilitates: quod hominum scelera saepe cohi- *Mala bonis saepe inserviunt praepollentioribus; aut cum iis connectuntur.*

PARS III. beant et puniant; proborum virtutes exerceant et augeant; hominum mentes a rebus externis, et voluptatibus vilioribus, ad interna et vera bona convertant. Hinc certe fit vero simillimum, ea etiam mala, quorum nullum nunc cernimus usum, ad seculorum venturorum, mundive partium a nobis remotiorum, aut ad universi prosperitatem et perfectionem fuisse destinata. Ex iis certe neutiquam efficietur, mundi administrationem esse invidam aut malignam.

Deus est optimus. Si igitur Deus sit benignus, animantiumque omnium felicitatem appetens; major eorum felicitas, minori anteponetur. Quantumvis igitur non pauci haud levibus laborent in malis; cum tamen Deus idem sit potentissimus; concludimus omnia optime in initio fuisse constituta, atque in optimo, qui fieri possit, statu conservari; spectato scilicet toto mundo, omnique ejus per omnia secula administratione. *

Dei Justitia. III. Cum ipsa bonitate connexa est Justitia, ejusque pars quaedam merito censetur. Justitia alia in commerciis viget, alia in civitatis rectione: haec autem sola Deo tribuenda: cujus i-

* De tota hac quaestione legantur, Leibnitii Theodicea, Comit. de Shaftesbury Rhapsodia, Sam. et Johan. Clerici, Orationes Boyleanae, aliorumque, contra Manichaeos Disputationes.

dem est officium quod etiam bonitatis: quum in legibus ad mores pertinentibus, omniaque honesta, totique mundo profutura jubentibus, condendis et promulgandis ipsa Bonitas se exereret; exigeretque etiam ut validis sanctionibus hae leges muniantur, quo magis in officio, debitoque obsequio contineantur omnes, indeque oritura felicitate fruantur. Quoque major sit harum legum vis in communem felicitatem, exigit eadem sive Justitia sive Bonitas, ut sine iniqua ulla in malos indulgentia, aut gratia toti Dei civitati nocitura, poenae legibus definitae irrogentur. CAP. IV.

Sanctitatis divinae fere eadem quae Bonitatis et Justitiae est natura; quod scil. Deus omnia optima volens et toti mundo consulens, omni prava aut iniqua cupiditate immunis sit; atque in suis virtutibus, iisque omnibus qui sibi similes sunt delectetur, et contraria damnet et aversetur. *et Sanctitas;*

IV. Quumque nulla sit dubitandi causa, quin Deus, ultra communem naturae sortem homines plurima docere, iisque suam voluntatem declarare possit: Ex eo quod et optimus sit et sapientissimus, qui neque ipse falli potest, neque homines, ubi ipsorum interest ne decipiantur, fallere velle; colligimus Deum in Dictis Promissisque servandis esse veracem. *Deus verax;*

PARS III. *et Beatus.*

V. Ex reliquis omnibus Dei virtutibus, colligimus eum esse Beatissimum. Dei autem vita beata neutiquam a rebus externis pendere potest: quum hae omnes ab ipso pendeant. Ex se potius, suarumque virtutum conscientia, optimoque mundi universi statu, quem sua virtute constituit et conservat, Deo optimo et benignissimo summa oriuntur et immutabilia gaudia.

CAP. V.

De Operationibus Dei.

I. DE Operationibus Dei licet exigua ſit noſtra notitia, haec breviter in univerſum dicenda: quod nullis laborent defectibus aut vitiis; ipſiuſque conſilium et voluntatem ſequantur, atque idcirco liberrimae ſint; quamvis nihil velle poſſit Deus quod ipſi ſapientiſſimo non optimum videatur. Nunquam de ſpe ſua aut propoſito decidit Deus, nunquam conſilia mutat: nihil ei volenti obſtare poteſt, aut conſilia ipſius impedire, ubi quicquam efficere ſecum ſtatuerat: ipſius potentia ſine ullo labore moleſto ſe exerit: nihil eo invito fieri poteſt, nihil improviſum evenire: neque ab ulla cauſa externa vim ſuam mutuatur, aut ejuſdem auxilio indiget, ubi ſine aliorum interventu quicquam fieri expetit. Quae tamen inter ſe repugnant, ea fieri non poſſe, antea diximus*. An autem praeter ipſam Dei voluntatem, interveniat actio quaedam diverſa; an contra ipſum velle per ſe ſit efficax, nihil pro comperto affirmare licet.

* Part. III. Cap. III. 1.

PARS III.

Bonitas est operationum divinarum causa.

II. Ex iis quae de bonitate divina antea dicta sunt; haud improbanda videbitur sententia, quae statuit, summa sua et pura bonitate permotum Deum optimum maximum, mundum hunc universum, ejusque partes quasque effeciisse; ut aliis a se rebus vitam, perfectionem, et felicitatem impertiret; neque alia quaecunque admisisse in mundo mala, quam quae huic fini videbantur necessaria; utpote, cum bono praeponderante connexa.

Inter Dei operationes, primum occupat locum, 'rerum a se diversarum effectio, quae antea nullae fuerant.' Quae CREATIO appellatur, eaque PRIMA. SECUNDA dicitur CREATIO, quae 'materiae primas induxerat formas; 'atque ex materia per se haud idonea species 'effecerat.' Creatio prima videtur Dei solius esse opus. Neque cuiquam incredibile videatur Deum sua vi effeciisse ut res quae antea non fuerant, esse incipiant; licet nihil simile vi humana fieri possit. Perpendatur enim quantulus sit homo; quamque in ipsis rerum naturis perspiciendis caecutiat; ita ut vix magis intelligat quo modo ipse suas revocet ideas, easque varie mutet; quo modo novos motus in animo, aut in corpore suo antea quiescente, suscitet,

An autem natura ab omni aeternitate actuosa a primo etiam quicquam efficisse poterat; ita ut rei creatae duratio, omne tempus finitum antecesserit, nemini forte ex ipsa rerum natura satis est exploratum: quod sine fine res creatas conservare valeat Deus, nulla est dubitandi causa. CAP. V.

Conservatio.

Qualem autem Dei vim exigant res creatae ut permaneant, haud satis constat: an scilicet, eadem vi continua egeant qua et esse coeperant: an vero, ea naturae stabilitas ipsis a primo tributa fuerat, ut durare per se possint, nisi divina vi rursus intereant. Incertum itidem an vi quadam divina, vel semper continuata, vel certa lege subinde interposita, efficiantur hi corporum attractus, motuumque communicationes quas cernimus; an contra, ipsis corporibus a primo ea vis tributa fuerat, cumque ipsis conservata. Hoc tamen omnino certum est, Deum, qui esse rebus ipsis dederat, posse etiam eas cum velit perdere; earumque durationem et vim omnem Deo acceptam esse referendam.

Dei providentia omnia reguntur.

III. DEUM providentia sua mundum administrare, iisdem fere rationibus colligimus, quae Deum esse ostendunt. Neque credibile est naturam praestantissimam, omni sapientia, bonitate

PARS III. et potentia ornatum, de mundo ejuſque partibus, iis praecipue quae ratione ſunt praeditae, tantaeque felicitatis aut miſeriae capaces, quaſque omnes tanta arte et ſolertia fabricaverat, ſecuram eſſe poſſe: eaſque caecae fortunae vexandas committere.

Atque inſuper, quum omnia quae eveniunt a cauſa aliqua adaequata ſint efficiunda; nihil enim effici poſſe videtur niſi a cauſa, quae vel per ſuam naturam et indolem, (una cum rerum ſpecie objecta, ubi de cauſis liberis eſt ſermo;) vel per vim aliquam externam, ad hoc nunc efficiendum permoveatur: quippe manente indifferentia, nihil efficietur, niſi Fortunae aut Caſui tanquam rebus veris efficientia aliqua tribuatur: hinc non immerito colligendum putant viri quidam docti, omnia per certas fieri cauſas, quae certa lege ab aliis prius movebantur, quaeque nos retro inveſtigantes tandem ducent ad cauſam omnium primam; quae, prout ſibi a primo viſum eſt, totam rerum mutationumque ſeriem, earumque cauſas omnes conſtituerat. Neque pietatis invitamenta tollet haec doctrina, ſive omnia legibus certis a primo conſtitutis evenire dicantur; ſive vi divina, ſecundum aeterna ipſius conſilia, ſubinde interpoſita: dummodo utrobique hoc tenea-

mus, virtutum vitiorumque, quae in animantibus ratione praeditis exſtitura praeviderat Deus, in mundi regendi conſiliis habitam fuiſſe rationem, iiſque rerum eventus fuiſſe accommodatos. CAP. V.

Quaeſtio, de decretorum ordine praeciditur.

Quumque nihil Deo inſcio aut invito accidere poſſit; qui ſcilicet omnium rerum naturas, vires, mutationes, et nexus inter ſe omnes, immo omnia quae fieri poterant, unico intuitu perſpexerat; non putandum eſt Deum, more hominum, diverſa diverſis temporibus appetentem aut decernentem, primo finem proponere, atque deinceps rationes finem conſequendi: verum potius ſimul, unico ſtabili decreto, eam integram omnium rerum ſeriem quae ſibi optima videbatur, decernere et efficere. Unde, omnis de ipſius decretorum ordine quaeſtio praeciditur. Hoc tamen non obſtante, quaedam a Deo, propter ſe expeti merito dicuntur; quaedam propter alia, tanquam media aut ſubſidia. Neque ex Phyſica excludendae ſunt cauſae quae vocantur finales.

De liberis actionibus omnis quaeſtio.

IV. De cauſarum naturalium, quae vocantur, efficientia, aut de mundi corporei motibus et mutationibus, quo modo a Deo regantur, nulla eſt controverſia: quippe quae ſequuntur cauſas quaſdam legeſque neceſſarias a Deo con-

PARS III. ſtitutas. Qua tamen ratione, ad cauſarum liberarum actiones, praecipue vitioſas, pertineat certa providentia, haud facile ita expediri poteſt, ut non in Deum actionum turpium crimen aliquod conferatur. In actionibus honeſtis regendis et determinandis, non metus eſt ne nimium Deo tribuatur: qui ſcilicet, vel quod naturalem aliquam cuique dederat virtutis indolem, eamque conſervet ſubjectam legibus quibuſdam naturalibus, quae eam vim habent in agentia etiam libera, ut ex certis cauſis, certo modo eorum mutentur affectus et ingenia; vel quod certa invitamenta, certas boni aut mali ſpecies ipſis objecerat; aut inſtinctu demum divino, ſupra naturae ſortem, quoſdam ad honeſta omnia incitet; 'omnis honeſti et laudabilis fons et origo' jure cenſeatur. Malarum vero actionum regimen non adeo facile explicatur. Ad eas quidem ſimili quadam ratione, ex rebus objectis, ipſaque ſua indole, certa lege permoventur homines: atque has omnes actionum cauſas rato ordine Deus conſtituiſſe cenſetur. Quum tamen eas tantum permittat, quas perſpicit eſſe toti ſyſtemati utiles aut neceſſarias; neque hominum pravitatem latius evagari ſinat, pro ſua benigniſſima in omnes voluntate: quocunque demum pravo affectu

incitentur ipsi homines ad actiones malas, CAP. V.
sanctissimo tamen consilio et benignissimo eas permittit Deus, in totius systematis perfectionem. In Deum igitur nulla turpitudo conferenda.

Deus ab omni vitio immunis.

Neque enim aliquid vitiosi in eo continetur, quod naturales erga bona inferiora appetitus et necessarios, cuique dederat Deus: neque ideo excusabiles sunt homines; quum cuivis, qui serio eadem perpenderit, graviora dedit Deus ad honesta omnia invitamenta; sensumque eorum, et appetitum hominibus inseruit, cujus ope, si id ipsis cordi esset, humiliores appetitus regere et reprimere possent. Neque Deo vitio vertendum est, quod pro sua larga bonitate, Naturas etiam inferiores, qui depravari possunt, et ad vitia flecti, creaverat: quum hoc, ut antea diximus, mundi status perfectissimus exigere videatur: atque ex ipsis eorum vitiis, commoda et utilitates longe praeponderantes, toti rerum universitati, Deus solertissimo suo consilio excerpere atque educere statuerit.

De praecursu et concursu.

Neque in providentia explicanda opus est, cum scholasticis, varias et a se distinctas Dei actiones, cuique hominum actioni conjungere, quas Praecursus sive Praemotiones et Concur-

PARS III. ſus appellant: quae cum ſanctitate divina haud facile conciliari poſſe videntur. Quicquid enim de motibus externis dicatur; in ipſis animi motibus vix, ac ne vix quidem, actionis natura phyſica, a morali ita ſeparari poteſt, ut illius Deus cauſa ſit efficiens, hujus autem, homines. Quicquid item in datis quibuſvis adjunctis, ad exercitium actionis permovet, etiam ad ſpeciem, ut loquuntur, impellit.

Neque dixerint qui ſententiae Stoicae adverſantur, plurima adeo parva et vilia eſſe, ut Dei cura plane indigna videantur. Ex minimis enim ſaepe maxima pendere videmus; neque parvis tantum juvantur magna, ſed in iis omnis eorum ſpes ſaepe vertitur. Salem igitur in contraria ſententia deridenda ne conſumant.

Haec autem quam diximus providentiae ratio, ut naturae ſimplicitatem redolet, ita Deo dignior videtur illa, quae Deum a primo plurimorum eventuum inſcium ſtatuit, ſemper praeſentem vero, nova ſubinde capere conſilia, prout ipſae res et eventus novi ipſi exigere videntur.

Jus divini Dominii et Majeſtatis.

V. Deum jure ſibi adrogare in res omnes IMPERIUM aut MAJESTATEM, ex ipſis Dei perfectionibus, ſapientiae nempe, et bonitate

ſumma conficitur: quae oſtendunt hoc imperium omnibus profuturum, atque idcirco omnium ſuffragiis eſſe comprobandum. Utilitatis autem invitamenta validiſſima, quibus homines ad obſequium moveri poſſunt, ex Dei omnipotentia petuntur, quae omnem contumaciam poenis graviſſimis coercere poteſt. Quae vero rationes oſtendunt decorum eſſe omnino et pulchrum, ut Deo in omnibus morem geramus, et omnem contumaciam eſſe deteſtandam; petuntur a beneficiis innumeris in nos collatis a Deo, qui nobis vitam dederat, et ſpiritum et omnia.

Deus, ſupra naturae ſortem communem, ſuam indicare poteſt voluntatem.

VI. QUUM denique doceat ipſa ratio, poſſe Deum, ſi modo voluerit, viros ſuo numine afflatos plurima docere, quae alioquin homines latuiſſent; et cum iis ſua communicare conſilia et propoſita; eorumque miniſterio, leges et vitae inſtitutionem humano generi promulgare: quod et revera eveniſſe, narrant hiſtorici fide digniſſimi: non a philoſophia alienum erit inquirere, qua demum ratione poſſint hi viri afflati, apud alios ejus rei facere fidem. Ipſos enim praeſentiae numiniſque ſui proxime pariter conſcios certoſque Deus efficere poteſt, ac ſui cogitantis quiſque conſcius eſt.

Nos quidem vix alia hoc fieri ratione intel-

PARS III. ligere poſſumus, quam ſi Deus ipſis futuros iſtiuſmodi eventus praedixerit, qui nulla hominum prudentia aut ſolertia praeſciri poterant: aut ipſis det vim miracula edendi, vires humanas longe ſuperantia. Dei attributa, quae ſcire noſtra praecipue intereſt, ſunt Sapientia, Potentia, et Bonitas. Sapientiae divinae indicia dabunt vaticinia, et potentiae miracula. MIRACULUM fruſtra dixeris, " opus ſola Dei omni-" potentia efficiendum:" quia nemo eouſque exploratas habet omnium rerum creatarum vires, ut hoc aut illud a ſolo Deo eſſe effectum affirmare poſſit. Hac igitur deſcriptione ſimus contenti, ' quod MIRACULUM ſit opus prae-' ter communem rerum tenorem, vires huma-' nas longe ſuperans; hominis tamen juſſu, ' aut ejus voluntate editum; aut in ejus ſalu-' tem, et apertam utilitatem.' Hujuſmodi enim ubi eduntur ab homine miracula, ut ſe numine eſſe afflatum fidem faciat, plane oſtendunt, naturam aliquam ſuperiorem huic rei ſe immiſcere. Qualis vero ſit ea natura potentior, an bona et benigna, Deus ſcilicet ipſe, vel juſſu Dei angelorum aliquis bonorum; an contra Daemon aliquis invidus et malitioſus; ex ipſis legibus et morum inſtitutionibus promulgatis conſtiterit; quae ſi ſancta ſint, et hominum

Quibus rationibus fides hujus fieri poſſit.

felicitati consulentia; eorum nuncium aut promulgatorem miracula patrantem, merito credimus divino numine fuisse afflatum. Unde et THEOLOGIA NATURALIS nos ducet ad REVELATAM, quae dicitur, amplectendam. CAP. V.

FINIS.

2 56
AUG